

Erasmus Rhagusinus, sive: De Apophthegmaton libris a Georgio Ferrich Latinis versibus donatis

Ušković Croata, Petar

Master's thesis / Diplomski rad

2017

Degree Grantor / Ustanova koja je dodijelila akademski / stručni stupanj: **University of Zagreb, Department of Croatian Studies / Sveučilište u Zagrebu, Hrvatski studiji**

Permanent link / Trajna poveznica: <https://um.nsk.hr/um:nbn:hr:111:421343>

Rights / Prava: [In copyright](#)/[Zaštićeno autorskim pravom.](#)

Download date / Datum preuzimanja: **2024-07-16**



Repository / Repozitorij:

[Repository of University of Zagreb, Centre for Croatian Studies](#)





UNIVERSITAS STUDIORUM ZAGRABIENSIS
STUDIA CROATICA

Petar Ušković Croata

**ERASMUS RHAGUSINUS
SIVE DE *ΑΠΟΦΘΕΓΜΑΤΩΝ* LIBRIS A
GEORGIO FERRICH LATINIS
VERSIBUS DONATIS**

THESIS AD LAUREAM MAGISTRALEM

Zagrabiae, MMXVII



UNIVERSITAS STUDIORUM ZAGRABIENSIS
STUDIA CROATICA
CATHEDRA LATINITATIS CROATICAЕ

PETAR UŠKOVIĆ CROATA

**ERASMUS RHAGUSINUS
SIVE DE *ΑΠΟΦΘΕΓΜΑΤΩΝ* LIBRIS A
GEORGIO FERRICH LATINIS
VERSIBUS DONATIS**

THESIS AD LAUREAM MAGISTRALEM

doc. dr. sc. Simone Demo moderante

Zagrabiae, MMXVII

SUMMARIUM

In hoc opere Erasmi *Ἀποφθεγμάτων* libri tractabuntur quos Georgius Ferrich, poeta Rhagusinus, saeculo XIX ineunte Latinis versibus illustravit. Curnam prorsus hoc Erasmi opus tantum apud Georgium Ferrich studium excitaverit, quoque consilio ad has fabellas versibus reddendas impulsus et evocatus esset, in lucem exponetur. Comparabitur deinde utrumque opus inter ea, quo clarius pateat qua in re congruant aut inter se dissentiant. Quanti sit momenti Georgii Ferrich opus monstrare oportebit, quibusdam epigrammatis ex illa magna eorum capedine allatis et commentatis, cum Erasmo denique comparatis. Nonnulla de ipso Erasmi opere fient verba cum pateat quantum pondus, etiam aetate qua Ferrich vixit, haberet.

Verba praecipua: Georgius Ferrich, apophthegmata, Erasmus, epigramma.

SUMMARY

The subject of this graduate thesis is Erasmus of Rotterdam's work *Apophthegmata* published in Basel in 1531. This work was interesting to Georgius (Đuro) Ferrich (1739-1820), poet from Dubrovnik (Rhagusa), who decided to render some of them in Latin verses. He is writing mostly in hendecasyllabi and elegiac couplets, the most common verses. Of 3014 that Erasmus wrote, Ferrich selected 1015 apophthegmata and his autograph is preserved in two parts, one of which is in Dubrovnik's State Archive and the other in Bogišić's library in Cavtat. Transcription of all Ferrich's *Apophthegmata* is preserved in the Archive of Franciscan monastery in Dubrovnik. There is no doubt that Erasmus influenced Ferrich who, as a professor and a pedagogue, had to teach students about the virtue and the examples by which it is shown. Therefore, it is important to notice why Ferrich decided to reproduce this work, as well as to see the differences between him and Erasmus of Rotterdam.

Key words: Georgius (George) Ferrich, apophthegmata, Erasmus of Rotterdam, epigram

RERUM INDEX

I. INTRODUCTIO.....	1
I. 1. De Georgii Ferrich operibus.....	2
I. 2. De eiusdem interpretandi studio.....	5
II. Erasmi Roterodami <i>Αποφθεγμάτων</i> opus	6
III. <i>Apophthegmata Erasmi Latinis versibus explicata</i> a G. Ferrich MDCCCVIII.....	8
III. 1. Ratio textus transcribendi.....	13
III. 2. Dedicatio Andreae Altesti.....	13
III. 3. Comparatio cum Erasmi opere.....	16
III. 4. Commentarii aliorum Georgii Ferrich <i>Apophthegmatum</i>	36
IV. CONCLUSIO.....	49
V. CONSPECTUS OPERUM ADHIBITORUM.....	51
VI. GRATIAE AGENDAE.....	52

Venturi aevi non immemor

I. INTRODUCTIO

Id quidem nobis hanc dissertationem elucubrantibus potissimum prae oculis est, ut illam a Tullio scite eleganterque prolatam sententiam, *iacerent in tenebris omnia, nisi litterarum lumen accederet*¹, sequamur, quo quidem consilio huius luminis etiam nostris temporibus scintillam saltem, in futura tempora micantem, exstare profiteamur. Ne temere illotisque manibus ad haud parvi ponderis argumentum aggrediamur, quae nobis dicenda videntur proferamus. Locuturi enim sumus de praeclaro Erasmi Roterodami opere quod *Αποφθέγματα*² nuncupatur quodque a Georio Ferrich, poeta Rhagusano, affabre Latinis versibus donatum est. Cum istud opusculum diu neglectum et pulvere opertum iaceret, alienum a nobis non esse id tractare, non modo disserationis huius scribendae gratia, quin immo et officio quodam cogi nobis videmur. Haud quidem ignoramus multos esse de Erasmo eiusque opere libros scriptos, multos praeterea esse homines qui totos se ad huius viri studia dederint. Sed hac dissertatione nos eo ducimur ut monstremus quae inter Erasmus et Georgium Ferrich sit similitudo, si omnino extet, et qua ratione Ferrich memoratum praeclari scriptoris opus Latinis versibus reddit ita, ut epigrammatis sumpserit formam, necnon animadvertere cuius hoc opusculum in historia Croaticae Latinitatis momenti esset. Et cum haud raro, etiam apud doctissimos viros, haec plerumque opinio valet: nihil ad nostra tempora Erasmi scripta pertinere, nunc vero prorsus abolevisse ita, ut una causa cur eis studeamus sit historica, at nos vero prorsus contradicimus. Huic tamen sententiae opponitur illa quaestio, quidnam Georgium Ferrich, tanta temporum intercapedine ab Erasmo seiunctum, ad *Αποφθέγματα* non solum legenda verum etiam versibus reddenda compulerit et quam sibi metam prae ceteris proposuerit.

Cum epigrammata Georgii Ferrich numquam in lucem prodierint, immo tribus dumtaxat manuscriptis asserventur³, eorum sensum altius indagare atque perscrutari

¹ Cic. *Arch.* XIV, 9.

² Apophthegma, atis, n. brevis et acuta sententia, sive acutum dictum, sive responsio, non cuiuslibet, sed illustrium tantum virorum. Est autem Graeca vox *ἀποφθέγγομαι* *sententiose loquor*. Latine dicitur *facete dictum*, et *breviter et commode dictum*. FORCELLINI 1805, 279.

³ Rhacusae in Archivo publico servatur altera pars autographi (lib. I-VII) numero XXI b 31 signatum, altera pars in bibliotheca Bogišić Epidauri, mss. XXX. Omnium vero *Apophthegmatum* transcriptio inest manuscripto numero AMB 931 (Čulić 481) signatum in bibliotheca conventus Fratrum minorum Rhagusae, cuius in prima pagina legitur: *Apophthegmata Erasmi Latinis versibus explicata a D. Georgio Ferrich Canonico Rhacusano*, MDCCCVIII, quo manuscripto in hisce pagellis scribendis sum usus.

conati sumus, eoque magis nova re propositaque indagine percutimus. Neque de omnibus epigrammatis nobis dicere licebit, nam Erasmi opere MMMCIV fabellae continentur, e quorum numero Ferrich MXV elegit et versibus reddidit. Uterque sane numerus maior est quam ut hac dissertatione penitus ac medullitus exponatur, sed credimus fore ut nonnullis exemplis allatis satis superque, qua mente quaque ratione Ferrich haec scripsisset, excutiamus. Acuenti igitur stilum ad scribendum de hoc singulari opere, magnopere mihi peccare viderer, nisi prius fundamenta iacerem, quibus hanc meam dissertationem, quantulamcumque pro ingenii viribus facturus sum, certis quibusdam finibus perstringam. Vereor, iure meritoque quidem, ut argumentum ita magnum hac dissertatione capiatur meisve ingenii viribus facile constringatur.

Ergo patefacto argumento, ad pauca quae reliqua sunt restat ut nos convertamus. Ita in primis res tota erit tractanda: De operibus Georgii Ferrich et quomodo *Apophthegmata* cum eius doctrina congruant, primum verba sumus facturi; deinde breviter exponemus ipsum Erasmi opus quo melius intelligere possimus quid in eo senserit quibusve fontibus usus sit; denique vero electa epigramma commentati ipsum nexum inter Erasmus et Georgium Ferrich illustrare conabimur. De ipsius Georgii Ferrich vita, iam alibi saepius tractata, plura dicere fugimus putantes huic rerum cumulo nos nihil novi addere posse.

I. 1. De Georgii Ferrich operibus

Ausim primo loco Georgium Ferrich cum Ovidio poeta hac in re comparare, quod vix soluta oratione quidquam scripsit⁴ ideoque poetae nomine merito appellandus est. Si omnia eius opera inspiciamus, facile Quinto Ennio, praeclaro illo Romanorum vati, non dispar nobis videatur, cum iste tria corda sese habere dixisset, quia tres linguas callebat, Latinam scilicet, Graecam et Oscam.⁵ Eodem modo Ferrich, uti magna nostrorum scriptorum turba, tribus linguis sua opera exaravit, Latina, Italica et Croatica, quorum plurima Latine scripta inveniuntur. Quorum cum de ordine agitur mediam viam assequemur non de editis aut ineditis operibus disserentes, sed potius de eis quibus ipse Ferrich est auctor deque eis quae potius quodam modo interpretatus

⁴ Ov. *Trist.* IV, 10. Et quod temptabam scribere versus erat.

⁵ Gell. XVII. 'Ferich, ut videtur, noverat etiam linguam anglicam' Cf. VRATOVIĆ 2011, 25.

est, ne Graecorum verbo *παραφράζειν* utar.⁶

Inter opera quae ipse scripsit primum locum obtinent *Fabulae ab Illyricis adagiis desumptae*, quas in lucem edidit anno MDCCCIV. Ex quo opere clare patet fabularum genus Georgii Ferrich studium iam pridem excitavisse et consilium, quo aliquot post annos *Apophthegmata* Erasmi versibus redderet, indidisse. Deinde autem, sua arte poetica usus, composuit *Periegesim orae Rhacusanae* anno MDCCCIII, quod postea a nonnullis viris doctis optimum eius opus habebatur. Ferrich MMMCD versibus non solum Rhagusam, sed totam illam regionem quae circumcirca patet, descripsit et, in quorundam regionum incolas vehementius invectus, infamiam sustulit.⁷ Attamen alia ex parte hoc opere magnam sibi laudem concivium consecutus est, cum eorum mores descripsisset, quos postea tota paene Europa legere potuit. Laudanda est nimirum Georgii Ferrich sollertia qua hoc itinerarium exaraverit, cum tam multis scriptorum antiquorum nitatur sententiis⁸, ut non modo industriam, sed etiam ingenium auctoris perbelle demonstret. Tum accedunt epistolae summis doctissimisque viris destinatae, quibuscum Ferrich sinceram amicitiam et quasi familiaritatem colebat. Quas quidem epistulas, Horatiano dixerim more necnon humanistarum, versibus exarabat et postea in lucem edebat. Johanni Müllero, tunc Vindobonae versanti, unam scripsit, in qua disserit de carminibus plebis et moribus, quae epistula lucem aspexit anno MDCCXCVIII. Eodem anno initio mensis Martii alteram iam epistolam scribendam incohavit ad Michaelem Denisium Iesuitam, regiae bibliothecae custodem, cui conquestus de Dalmatiae fortuna rerumque statu, attulit praecepta ad res in melius mutandas. Ob hanc etiam causam videtur illa epistula nonnullius momenti, quod Ferrich nomina viginti Dalmatiae scriptorum, qui de litteris vel de scientia sunt optime meriti, memoravit, et ea ratione, ut singulos in quemque litteratum circulum constitueret.⁹ Scripsit epistolam etiam ad amicum Iulium Bajamontium¹⁰ a quo saepius carmina vulgaria accepit. Qua in epistula Ferrich comparat Croatorum carmina heroica cum Homeri carminibus atque haec duo inter se non multum differre

⁶ Hanc viam iam antea ingressus est Željko Puratić. Cf. PURATIĆ 1982, 11.

⁷ Cf. NOVAKOVIĆ 2016, 83. Hoc in opere scribendo videtur Ferrich prae oculis habuisse Horatii *Saturam* I, 5, ubi poeta Venusinus iter Brundisium describit. VRATOVIĆ 2011, 60.

⁸ Auctorum index inspicere potest apud PURATIĆ 1982, 22.

⁹ KNEZOVIĆ et UŠKOVIĆ CROATA 2017.

¹⁰ Iulius Bajamonti (1744-1800) Spalati natus erat. Praeter rerum gestarum historiae et medicinae artis, nonnihil studiosus erat morum atque carminum vulgarium popularium, quae permulta collexit una cum modis musicis.

confirmat, quin etiam, Morlachos¹¹ de quibus loquitur, iisdem paene moribus corporibusque habitu esse instructos atque heroes Homeri. Toto paene vitae curriculo Ferrich epigrammatis scribendis saltem obiter vacabat. Pro certo habemus eum anno MDCCCXV ultima sua epigrammata exarasse, quorum varia sunt genera: *Apophthegmata Erasmi Latinis versibus explicata*, *Epigrammi miei*, *Epigrammata de nostratibus*, *Disticha*, etc.¹² Quippe qui litterarum vernaculo sermone exaratarum studiosus esset, Ferrich *Elogia Rhagusinorum poetarum*¹³ scripsit, quo in opere de singulis poetis suum affert iudicium. Ex quo plane liquet eum non solum Latinae sed etiam patriae linguae deditum fuisse, quam ob causam praecessit eos qui postea resuscitandis patriae litteris¹⁴ studerent et quasi facem prae ceteris gestans semitam illam primus illustravit. Etiam duo carmina macaronica scripsit, *Descriptio Cucagnae*, quod CLXXXIII versibus constat, et *Carnovalis Ragusini descriptio macaronica* quod CLII versus continet. Hac in re Ferrich inter paucos numeratur qui hac macaronica lingua in nostrarum litterarum historia usi sunt.¹⁵ Maximi momenti opus quod vernacula lingua exaravit *Vita Aesopii* habetur idque aliis auctoribus inmensis scripsisse videtur, inprimis Maximo Planud, qui XIII saeculo Aesopi vitam composuit.¹⁶

Inter opera quae interpretatus est prima typis in lucem prodiit *Paraphrasis psalmorum poetica* (MDCCXCI) quod quinquagenarius, professoris in gymnasio munere fungens¹⁷, edidit. Est nimirum haec *Paraphrasis* exercitatio quaedam metrica, sed utcumque in nostris litteris unica et admodum singularis quia Ferrich metros Horatii potissimum usurpavit.¹⁸ Carmina Andreae Kačić Miošić in Latinam linguam convertit in libro *Slavica poematia Latine reddita*¹⁹ ubi etiam de beato Vladimiro, Croatiae rege, carmen hexametro scriptum invenitur. Notissimus quidem videtur Ferrich ob

¹¹ De barbaro Morlachorum genere vide apud Albertum Fortis: *Viaggio in Dalmazia*, 1774. qui de iis primus verba fecit. Post eum Ioannes Lovrić de eis scripsit in opere *Osservazioni sopra diversi pezzi del Viaggio in Dalmazia*, 1776.

¹² Maxima epigrammatum pars asservatur in Archivo Bogišić in Cavtat et in Archivo publico Rhacusino. De epigrammatis Georgii Ferrich vide Veljko Gortan: *Izvorni latinski epigrami Đure Ferića u cavtatskom autografu*, *Živa antika*, XV 1, 1965.; VRATOVIĆ 2011, 19.

¹³ Hoc in opere praesertim exemplum Sebastiani illius Dolci secutus est, qui Venetiis anno 1767. edidit opus *Fasti litterario - Ragusini* in quo alphabetico ordine exhibet viros optime de litteris meritos. Cf. PURATIĆ 1982, 60.

¹⁴ Cf. VRATOVIĆ 2011, 25.

¹⁵ Exempli gratia Martinus Szabolovich et Franciscus Millasinovich.

¹⁶ PURATIĆ 1982, 67.

¹⁷ Iesuitarum ordine extincto anno 1773. docebat Ferrich in Gymnasio Rhacusino.

¹⁸ VRATOVIĆ 2011, 59.

¹⁹ Autographum servatur in Bibliotheca universitaria signatum R 3423. Quorum operis editionem criticam edendam curavit Gudrun Wirtz: *Slavica poematia Latine reddita*, Böhlau 1997.

hanc rem quod Horatii carmina aliis verbis reddebat, neque quisquam hac re eum antecellere potuisse videtur, nam, exceptis paucis, paene omnia Horatii carmina aliter exposuit.²⁰ Cum in Gymnasio doceret, quosdam locos Vergilii et Martialis aliis verbis reddidit, quo facilius discipuli hos auctores intelligerent.²¹ Duo Martialis epigrammata alio modo explicavit: VI, 13 et VII, 53, quorum alterum inaequali versuum numero. Duodecim Martialis versus Ferrich viginti septem reddidit quod quasi commentarius habetur.

Satis superque de Georgii Ferrich operibus nobis dixisse videmur, ex quibus cuique Lynceis oculis praedito eum ingenium ingentem habuisse constat et ad quandam peritiam in bonis litteris pervenisse. Quoniam difficile est ire per singula, hic saltem notissima opera memoravimus, quo clarius eius industria studiumque pateant.

I. 2. De eiusdem interpretandi studio

Nonnulla in sequentibus paginis de Georgii Ferrich interpretandi studio verba fient, siquidem hac in re multam operam collocaverit, cum ea aetate in pretio erat probatissimos scriptores commentari aliisque verbis reddere. Primum dicendum esse videtur quam ob causam haec fecerit cuique bono hoc labore insudaverit. Nimirum Ferrich ipse, qui per quinquennium discipulos bonis litteris imbuebat, de institutionis scopo eiusque fine cogitavit, item quomodo lingua Latina scriptoresque antiqui discipulis tradendi essent quibusve instrumentis hoc facilius consequi posset. Non sine difficultate rem metricam discebant ac poetarum, ut Horatii, sensum percipere nequibant. Ferrich, igitur, optimam viam huic vitio medendo excogitavit carmina poetarum reddens aliis verbis eorumque sensus tunc facilius erat cognitu. Deinde ipsis discipulis ut idem facerent variis exercitiis proponebat, quod erat admodum utile ad artem metricam perdiscendam. Primum, et bono quidem cum eventu, edidit *Paraphrasim psalmodiarum poeticam* Benedicto Stay²² persuadente. Ferrich saepe de variis difficultatibus in interpretando verba facit,²³ sed utcumque optimus interpret evadit. Variis Horatii metris omnes psalmos et cantica reddidit suam interpretandi

²⁰ In Bibliotheca Rhagusina scientifica numero 462 asservantur haec Ferrich carmina, de quibus plura: VRATOVIĆ 2011, 59. Puratić dixit eum Horatii carmina interpretatum esse ad usum discipulorum Gymnasii Rhagusini, ubi usque ad annum 1777. docebat. PURATIĆ 1976, 5.

²¹ Vide manuscriptum 126 / 1 in Archivo Rhacusino: *Paraph. XVI Virgilianorum versuum ex I libro Georgicorum; Paraph. XVII in versus Vergilii II Georgicorum (328-331)*.

²² Benedictus Stay (1714-1801) philosophus fuit et poeta egregius Rhagusae ortus.

²³ PURATIĆ 1976(II), 196.

facultatem repraesentans. Cum de carminibus eiusdem Venusini poetae agitur, ea profecto discipulis directa fuisse scimus quia amatoria carmina omnino dempsit ne Christianae religioni detrimento essent. Hoc modo Ferrich iuvenum mores instituere conatus est, neque quodlibet carmen proposuit quo voluptates continerentur.²⁴ Interpretatio Phaedri *Fabularum* anno MDCCCXIII lucem aspexit²⁵, quo in opere optime Phaedri mentem in vernaculum sermonem transtulit, ita ut eo iam tempore summis laudibus hoc opus lauderetur. Memoriae proditum est hanc Georgii Ferrich interpretationem loco libri scholastici adhibitam fuisse, quod iterum iterumque demonstrat quantum ille insudaverit ut pueris auctores antiquos legendos proponeret. Aliquot versus ex Ovidii *Heroidum* libris interpretatus est in quibus verba fiunt de Sappho et Phaone. Interpretatio quibusdam in locis ad verbum videtur facta, quod eius pulchritudinem haud minuit.²⁶ De eius interpretandi studio hactenus.

II. Erasmi Roterodami *Αποφθεγμάτων* opus

Omnium operum quae Desiderius Erasmus Roterodamus scripsit magna pars ad pueros ad humaniores litteras informandos spectat. Praeter *Stultitiae laudem*, qua maximam sibi famam comparavit, praeter *Querellam pacis* et Novi testamenti editionem Batavus ille clarissimus iuvenum institutioni maxime se applicavit. Primum ergo laudandum est *De pueris statim ac liberaliter instituendis opus* quod MDXXIX edidit, in quo censet pueros ad ipsam usque pubertatem inter matercularum oscula, blanditias, lusus ineptiasve parum castas non esse detinendos.²⁷ Ceterum, animadvertit Erasmus magistros scholarum in quibus litterae traduntur severitatem in pueros exercere atque inutilibus methodis uti, quae parum fructus afferunt. Scripsit etiam *De ratione studii* librum, in quo monstrat quo modo multo citius longeque expeditius ad doctrinam litterariam pervenire possimus, vel hoc maxime, cur debeamus bene hanc doctrinam nobis comparare. *De Apophthegmaton*²⁸ libris restat ut nonnulla dicamus. Hoc opus VI libris continetur idque duci Guilhelmo²⁹, sedecim

²⁴ Ita exempli gratia in Horatii carmine I, 9. sententiam ‘*ne dulces amores sperne*’ reddidit: *nec dulces sperne Camoenas*. PURATIĆ 1976, 5.

²⁵ *Fedra, Augustova odsužnjika, Pričice Ezopove u pjesni slovinske prinesene*. De his plura vide apud Ioannem Kasumović, *Dva dubrovačka prijevoda Ezopovih basni*, Nastavni vjesnik, 1914.


²⁶ PURATIĆ 1982, 110.

²⁷ *Declamatio de pueris statim ac liberaliter instituendis*, ASD I.2, 26.

²⁸ *Apophthegmata lepideque dicta principum, philosophorum, ac diversi generis hominum, ex Graecis pariter ac Latinis auctoribus selecta*. Basileae 1531.

²⁹ William of Cleves (1516-1592).

annos nato, dedicare decrevit. Liber I et II *Apophthegmata Laconica* continet, in primo scilicet Sparta regum et secundo anonymorum Spartanorum feminarumque dicta insunt. In libro III inveniuntur dicta Socratis, Aristippi, Diogeni multorumque aliorum, quam materiam praesertim a Diogene Laertio sumpsit.³⁰ Quartus vero liber dicta Macedoniae regum affert pariter ac clarissimorum Romanorum.³¹ Hic enim liber incipit idem ac Plutarchi *Apophthegmata regum et imperatorum*, et hos oratores memoravit: Ciceronem, Phocionem et Demosthenem. Quintus liber nihil est aliud quam Plutarchi operis, quod supra memoratum est, *paraphrasis*, sextus vero liber *Apophthegmata varie mixta* continet.



Imago I, *Apophthegmatum* Erasmi colophon (1531)

Ipsa Erasmus in *Apophthegmatum* prooemio principi iuveni commodato, causam affert curam hoc opus scribere instituisset, dicens ad iuuenum mores et disciplinam

³⁰ ASD, 2011, 5.

³¹ Macedoniae reges: Philippus, Alexander, Antigonus; Romani: Augustus, Caesar et Pompeius.

omnino pernecessarium esse clarissimorum virorum cognoscere dicta. Habere *Apophthegmata* peculiarem quandam rationem et indolem suam existimavit, ut breviter, argute, salse et urbane cuiusque ingenium exprimant.³² Plutarchi vestigiis se insistere affirmat, qui primus huiusmodi opus in lucem protulit atque hoc genus scribendi praestitit. Nec enim, in hoc Erasmi opere tam refert a quo quid dictum sit, quam quid dicatur. Qua re sine dubio Erasmus non hominem indicare voluit sed proverbium ab eo praeclare prolatum. Maximi, igitur, momenti est animadvertere quodque egregie dictum suum quasi titulum habere quo medulla eius et scopus contineantur.

III. *Apophthegmata Erasmi Latinis versibus explicata a G. Ferrich MDCCCVIII*³³

Tandem ad nostrum scopum propositum pervenimus ubi de ipso Georgii Ferrich opere quaedam sunt dicenda. Iam diximus id opus numquam, proh dolor! in lucem prodierit ac manuscriptis tantum duobus asservari.³⁴ De his professor Željko Puratić, vir optime de litteris meritis, primus verba fecit,³⁵ at non omnia sed viginti tantum apophthegmata transcripsit ac commentatus est. Eadem paene, quae in illa symbola tractavit, suo libro iunxit ita, ut eadem in utroque loco inveniantur.³⁶ Puratić affert Erasmus a Plutarcho *lepide dicta* praesertim sumpsisse, necnon a Luciano³⁷, quod Georgio Ferrich valde placuit. Iste non omnia Erasmi apophthegmata interpretari decrevit sed illa tantum quae eius studium excitabant atque ex MMMCIV quod Batavus scripserat Ferrich MXV elegit. Haec in X libros digessit neque

³² PSC, Prooemium.

³³ Integer titulus est: *Apophthegmata Erasmi Latinis versibus explicata a domino Georgio Ferrich canonico Rhacusano, 1808*.

³⁴ Vide notam 3. Ad hanc dissertationem scribendam usi sumus illo manuscripto quod in bibliotheca conventus Fratrum minorum Rhacusae servatur hoc modo signatum: AMB 931 (Čulić 481). Gratias maximas ago dr. sc. Jadrankae Bagarić, quae mihi eiusdem manuscripti imagines misit. Item fr. Stephano qui ei veniam dedit ut imagines exciperet. Hoc manuscriptum continet omnium *Apophthegmatum* transcriptionem, quae in duas partes sunt divisa: altera pars servatur Rhacusae, altera in oppido Cavtat. Manuscriptum quo usus sum habet 31 fasciculum, quorum singuli quattuor paginis continentur recto versoque exaratis. Quod ad formam attinet, eius est magnitudo 13x25cm. Quorum fasciculorum primum, secundum et tertium in hac dissertatione tractavi.

³⁵ PURATIĆ 1976, 205-212.

³⁶ Puratić post octo annos scripsit librum *Georgius Ferrich* qui est quasi florilegium omnium symbolarum quas de eo poeta usque id tempus, scripsit.

³⁷ Λουκιανός (120-180) Syria oriundus satiras scripsit. Artis rhetoricae erat magister, cuius opera multa servata habemus. Vocatur 'Voltaire antiquitatis'. ŠKILJAN et al. 1996, 394. Ceteri scriptores antiqui ex quibus Erasmus materiem haurivit: Diogenes Laertius, Cicero, Quintilianus, Titus Livius, Suetonius, Valerius Maximus, Herodotus, Seneca, Macrobius, Eutropius etc.

quemlibet ordinem secutus est, scilicet quaedam ex VI Erasmi libro in primum posuit. Neque pro certo dicere possumus qua Erasmi editione Ferrich usus sit, quamquam Puratić credit id fuisse editionem anno MDXLVIII Lugduni impressam.³⁸ Huic nimirum opinioni nosmet ipsi assentimur cum illa editio mancipium, ut videtur, Aloisii Adami Baričević esset, Georgio Ferrich omni amicitiae vinculo coniuncti. Res notabilis admodum est haec, Erasmus cuique apophthegmati titulum imposuisse, quod Ferrich omnino neglexit, hunc in modum benevolo lectori se excusans:

Cur ego ad hęc titulos non fixi Epigrammata quęris?

Bisne ego dicam eadem, bisne eadem ipse legas?

Quod nimirum significat Georgium Ferrich ei oppinioni admodum fuisse propensum, in singulis scilicet apophthegmatibus iamiam titulum et contentum esse et patere. Curnam quartam modo partem ex omnibus Erasmi apophthegmatibus versibus reddere decreverit pro certo dicere nequimus. Ea sine dubio elegit quae vel pueris in bonos humanioresque mores responderent, cuius rei gratia illa quae de scortis agunt, omnino recusavit.³⁹ Quae si attentius consideramus qua re eum ad scribendum incitatum fuisse, numquid aliud eum consecutum esse dicemus, quam illam praeclaram Horatii sententiam: *omne tulit punctum qui miscuit utile dulci | lectorem delectando pariterque monendo*⁴⁰. Et ipse Ferrich forte roganti respondet libellum numeris vinctum allectum esse legentem quadam potentiore vi et fessum levabili haustu Pegaseae undae.⁴¹ Alia fortasse causa quae eum versibus scribere compulit ea est, quod ei aetati morem gerere voluerit. Nam tunc temporis in pretio fuit Horatium imitari,⁴² eiusque carmina omnibus vel poetis, vel quibuslibet artem poeticam profitentibus prae oculis fuerunt. Cum de carminibus verba fiunt animadvertendum est quod Ferrich in epigrammatibus scribendis promiscue duobus metris usus est, scilicet disticho elegiaco aut hendecasyllabo Phalaecio, quorum primus apud eum praevaluit. Quae res etiam in tabellari expositione, quam inferius posuimus, clare percipi potest quia vis epigrammatum disthycis elegiacis conscriptorum numero longe ceteros superat. Neque tantum ad epigrammata a nobis tractata hoc pertinet, verum etiam ad omnia, quae Ferrich scripsit. Ne nobis quidem legentibus ulla videtur regula

³⁸ Bibliotheca universitaria Zagrabiensis, sign. 43619.

³⁹ *Mi ergo e pluribus illa seliguntur / dicta quę graviter, sagaciterque, / modeste, / interpide, pie, integreque, / bellica quoque cum severitate / nec non quę lepide, iocose, acute / movere ingenuo, ut queant cachinum / quę senilia, frigida, immodesta, / plebi ut videas hęc ego relinquo.*

⁴⁰ Hor. *Ars.* 343-344.

⁴¹ PURATIĆ 1982, 99.

⁴² VRATOVIĆ 2011, 59.

vel obrussa, qua Ferrich unum sive alterum metri genus elegit, praeter occasionem et animi sententiam.

Tabellaris expositio epigrammatum et metri generum

Metri genus	Epigrammata hoc metro composita
Hendecasyllabus Phalaecius	3, 34, 38, 42, 60, 74, 80, 88, 98, 100:2, 109:11, 146:44, 221:21, 323:23, 360: 60, 397: 97, 554:54, 589:89, 699:97, 700:98, 761:61, 791:91, 794:94, 821:17, 823:19, 843:39, 860:56, 988:83, 992:87
Distichon elegiacum	1, 2, 4, 28, 29, 30, 31, 32, 33, 35, 36, 37, 41, 46, 47, 48, 49, 50, 51, 52, 55, 56, 57, 58, 59, 61, 62, 63, 64, 65, 66, 67, 68, 69, 70, 71, 72, 73, 75, 76, 77, 78, 79, 84, 85, 86, 87, 89, 90, 91, 94, 95, 96, 97, 99:1, 101:3, 102:4, 103:5, 107:9, 108:10, 110:12, 111:13, 183:84, 184:86, 185:87, 219:19, 257:57, 258:58, 259:29, 260:60, 290:90, 291:91, 293:93, 294:94, 325:25, 326:26, 327:27, 359:59, 398:98, 430:30, 432: 32, 433:33, 462:62. 463:63, 465:65, 493:93, 494:94, 495:95, 523:23, 524:24, 525:25, 526:26, 555:55, 556:56, 557:57, 587:86, 587:87, 588:88, 620:18, 621:19, 622:20, 655:53, 697:95, 698:96, 699:97, 701:1, 729:29, 730:30, 731:31, 732:32, 758:58, 759:59, 760:60, 762:62, 792:92, 793:93, 820:16, 822:18, 844:40, 861:57, 862:58, 990:85, 991:86, 993:88, 994:89

Tria saltem genera, nostra est opinio, epigrammatum exstare quod ad materiam attinet, quorum in primo certa persona nominetenus, in secundo incerta, in tertio

populus apparet. Ergo, si cuiusdam populi severitatem, exempli gratia Spartanorum,⁴³ describere voluit, nullum certum virum vel feminam nominat, sed populum ipsum. Similiter fecit cum feminarum matrumve virtus exprimenda esset, neque quamlibet feminam induxit. Si vero de personis agitur certis, tunc eorum atulit sententiam, quae est quasi proverbium et totius rei medulla. Operae pretium esse censemus, ut omnia nomina quae in epigrammatibus a nobis tractatis hic afferamus.

Tabellaris expositio nominum in epigrammatibus apparentium

Nomen	Epigrammata in quibus apparet
Agis	66, 185:87, 430:30
Alcibiades	34, 63:63, 792:92
Alexander rex	32, 50, 58, 78, 90, 103:5, 494: 94
Alianus orator	523:23
Anacharsis Scytha	758:58
Anaxagoras	759:59
Anthisthenes	85, 259:59
Antigonus	54, 89, 101:3, 221, 21, 493: 93
Antonius	52
Archesilaus	30, 56, 65, 75, 87, 183:84, 257:57, 260:60
Archidamus	28, 71
Aristides	55, 791:91, 794:94
Aristippus	31, 822:18, 997:89
Aristoteles	184:86, 760:60
Bion	762:62
Caesar	36, 79, 102:4, 219:19, 324:24, 327:27, 524:24, 700:98, 861:57
Callicratides	294:94
Camillus	843:39
Cato	258:58, 323:23, 589:89, 730:30
Catulus	589:89

⁴³ Exemplum fortasse notissimum est cum mater filio militiam petenti praecepit ut, nisi cum clypeo domum reverterit, in eo referretur: *Militiam nato mulier Spartana sequenti / dans clypeum haec uno tempore verba dedit: / "Nate, cave patrios repetas post bella Penates / hoc nisi vel referas, te vel in hoc referant. "* Ap. 70.

Cicero	38, 51, 67, 655:53, 697:95
Cleanthes	84
Crates Thebanus	432:32
Cynicus	47, 88
Darius Persarum rex	61, 290:90
Demonax Cynicus	556:56, 731:31
Demosthenes	60, 731:31
Diogenes	3, 325:25
Dionysius	33, 988:83
Dolabella	495:95
Epaminondas	94, 525:25
Euripides	820:16
Galba	359:59, 701:1
Geradas Spartanus	69
Lentulus	51
Lucius Volumnius	53
Lycurgus	72, 992:87
Lysimachus	59
Myronides	793:93
Pericles	433:33, 729:29
Perseus	46
Philippus Macedo	1, 29, 62, 76, 86, 99:1, 293:93, 360:60, 398:98, 432:32, 462:62, 588:88
Phocio Atheniensis	326:26, 586:86, 860:56
Pisistratus	555:55
Plato	587:87, 761:61
Polycrates	557:57
Pompeius	102:4, 291:91
Pyrrhus rex	77, 91, 465:65,
Pythagoras	622:20
Romulus	621:19
Scipio Nasica	37, 823:19

Servilius	699:97
Socrates	42
Socrates	74, 463:63, 821:17
Spartana femina, Spartani, Laconi	2, 35, 48, 57, 63, 68, 70, 397:97
Sylla	862:58
Themistocles	80, 794:94
Theophrastus	64
Theopompus	49
Timotheus	73
Vectius Valens	524:24
Xenocrates	90

III. 1. Ratio textus transcribendi

In hisce versibus transcribendis quibusdam regulis definitis ac certis, necnon orthographiae Latinae praeceptis⁴⁴ usi sumus, quae obiter nobis exhibenda videntur. Ubicumque littera *ę* pro *ae* in manuscripto apparuit, eam hoc prorsus modo admisimus (e. g. *ęvum* stat pro *aevum*). Porro litteram *j*, quae in scriptis hodiernis Latine exaratis non usurpatur, reddimus littera *i* (e. g. *iuvēnis* stat pro *juvenis*). Deinde ipsam formam epigrammatum reddimus ut in manuscripto apparet, ubi versus hendecasyllabi iuxta sinistrum marginem recte positi sunt, in distichis vero elegiacis pentameter exiguo spatio relicto dextrorsum vergit. Ubicumque oratio recta apparuit eam huiusmodi virgulis (“ ”) discrevimus. Epigrammatum numeros non mutavimus, sed ea ratione transcripsimus qua in manuscripto ordinati sunt.

III. 2. Dedicatio Andreae Altesti

Ad clarissimum virum
equitem
Andream Altesti

⁴⁴ Cf. SALLMANN 1990, 12-27.

Cui dono dabitur novus libellus⁴⁵
duris quam mihi lucubrasse rebus
seni haud difficili dedit Camēna
Altesti tibi, namque prosecutus
tot me ipse officiis, ut hoc si omittam
tibi et perleve munus exhibere
congrati subeam nolam. Tu es ille
creditum mihi primulo quem ab ēvo
bonis artibus imbuebam et una
cui virtutis ego arduam severę
dux fidusque comes viam indicabam.
Tu discens rapide, et te ad ēqua flectens
dignum te meo amore reddidisti
sic ut facti anima ambo iam una simus
qualecumque, igitur, quod ipse iuvis
publici facio hoc opellae habeto.
tu tibi neque noctuas Athenas
fuisse insinuler, vel intulisse
luco ligna,⁴⁶ gravi viro quod ausim
tibi hęc, ac solida eruditione
exculto dare sic pusila. Nam si
nullius tibi sint futura frugis
qui per te sapis, † † Servans
pectus Socratice haud eges moneri.
Filiū cum habeas severiores
qui tyrunculus edocetur artes
quo aptius rogo munereris illum
hocce quam exiguo libello, in usus
dedita quem opera, tibi hos peregi.
Hęc illi fueris videre in unum
iuncta gratius, ad manumque habere
multo quęrere quam labore sparsa


⁴⁵ Catullum hic primus versus sapit, qui scripsit: *Cui dono lepidum novum libellum*. Catull. I, 1.

⁴⁶ *In silvam non ligna feras*. Hor. *Serm.* I, 10, 34.

scriptorum in veterum libris, amica
quos vel Tręcia litteris, vel armis
potens quos Latium edidit sed istęc
quae tu (forte aliquis mihi hic reponet)
non doctissimus ille gentis egit
Erasmus Batavus? Egit Hercle, sed dum⁴⁷
iusto plus epulum profusum acervat
convivas adeo ille nauseavit
ipsa copia inelegans, ut omnis
cęna evaserit, enitere. Quę apto
luxu quiverat, atque temperato
Mi ergo e pluribus illa seliguntur
dicta quę graviter, sagaciterque,
modeste, interpide, pie, integreque,
bellica quoque cum severitate
nec non quę lepide, iocose, acute
movere ingenuo, ut queant cachinum
quę senilia, frigida, immodesta,
plebi ut videas hęc ego relinquo.
At dos huius etiam altera est libello
vinctus quod numeris, potentiore
vi quadam aliciet legentem, et haustu
fesum Pegaseę levabit undę
tuo ergo puero utilem futurum
de dono exiguum libellum, in usus
dedita quem opera tibi hos peregi
da quęso ipsi etenim tuę sorori
cui charus puer est, placebit, atque,
ipse sic etiam magis placebo
qui iam illi placeo, et cui illa dotes
ob tot egregias placet vicissim.

⁴⁷ Hic versus cum praeceptis metricis non congruit.

Suum opus Georgius Ferrich dedicavit amico Andreae Altesti,⁴⁸ aut potius eius filio quem bonis litteris educare oportebat. Primis versibus, cum dicit *mihi seni*, constat Georgium Ferrich hoc opus iam aetate provectum scripsisse. Qua est erga Andream diligentia, clare patet in illis versibus ubi dicit se eum *ab primulo aevo* bonis artibus imbuisse. Ferrich enim in lucem sua *Apophthegmata* daturum fuisse videtur, quia scribit: *quod ipse iuris / publici facio*. Cur inde ab anno MDCCCVIII usque ad mortem hoc non fecerit vix divinare licet. Obiter etiam memorat de quibus rebus verba fient necnon se omnia passim, cum Latinis, tum Graecis litteris sparsa in unum tandem collegisse. Puratić affert Georgium Ferrich suum opus non Andreae Altesti, sed Marco Bruerević, discipulo suo, sacravisse.⁴⁹ Nec tamen illud est spernendum Ferrich hendecasyllabis dedicationem exarasse quod Catullum omnino sapit et affectat.



Imago II, paginae manuscripti AMB 931 in Archivo conventus franciscani Rhagusae

⁴⁸ Andreas Franciscus Ioannes Altesti natus est Rhagusae anno 1766. Studiorum causa in Italiam primum se contulit, ubi diu versatus est sed utcumque cum Rhagusae civibus commercium colebat. Georgio Ferrich, uti primo magistro, opus dedicavit quod inscribitur *Lettere intorno all'origine, le emigrazioni, le dottrine e la religione dei popoli Slavi (1795-1800)*. ČOSIĆ 2001, 107.

⁴⁹ PURATIĆ 1982, 99.

III. 3. Comparatio cum Erasmi opere

Hac in dissertationis parte quaedam Apophthegmata Erasmi et Georgii Ferrich comparare decrevimus. Primum ipsius Roterodami fabellam attulimus, deinde Georgii Ferrich interpretationem.

En XXII. apophthegma quod de rege Philippo eiusque filio Alexandro disserit. Huic accedunt Georgii Ferrich versus quibus hoc reddidit.

*Eundem (sc. Alexandrum) hortabatur, ut auscultaret Aristoteli cui traditus erat instituendus, daretque opera philosophiae, ne, inquit, multa committas, quae me fecisse nunc poenitet. Perspexit egregius princeps neminem philosophiae expertem regno idoneum esse nec pudit fateri se multa per errorem fecisse propterea quod a teneris unguiculis philosophiae praeceptis non fuisset imbutus. Nam qui experimentis discunt administrare regnum, licet ingenio felicissimo nati sint, tamen et fero et magno reipublicae malo tandem evadunt boni reges. At qui philosophiae praeceptis praemunitus accedit, si adsit mens integra, vix poterit ab honesto deflectere. Ubi sunt interim qui litteras ac philosophiae studium clamant ad rempublicam administrandam esse inutile?*⁵⁰

1

Primo qui sobolem pubentem flore Philippus
dum magno ut doceat tradit Aristoteli.

Disce puer tanto sub Præceptore monebat
in quæ lapsus ego tu vitia effugere.

Hac Georgii Ferrich interpretatione liber primus *Apophthegmatum* incohatus est. Ferrich Alexandrum ‘sobolem pubentem’ dicit, atque errorem ‘vitii’ verbo reddit. Longiusculum apophthegma satis breve, ut cernitur, reddit.

Proximum apophthegma libro III, numero XXVIII signatum, inest titulumque habet *Pudor*. Verba fiunt de Diogene qui puerum erubescens nactus est.

⁵⁰ PSC, 130r, ap. 22.

*Adulescenti cuidam erubescenti atque ob id perturbato, bono animo sis, inquit, filii, istiusmodi est virtutis tinctura.*⁵¹

Ferrich hoc breve apophthegma redit versibus hoc modo:

3

Diogenes subito genas rubore
difundi puero bene educato.

Videns, "sis animo bono," inquit, "hunc nam
virtus ipsamet exprimit colorem."

Ferrich in reddendo non disticho elegiaco sed hendecasyllabo Phalaecio usus est. Adulescentem 'puerum' vocat additque eum esse bene educatum. Ubi Erasmus 'tincturam' memorat, Ferrich dicit 'color'.

In XCI. apophthegmate iterum de rege Philippo verba fiunt, quem Demades in magna hominum turba saltantem aspexit.

*Cum vidisset Philippum largius potum cum amicis saltasse per mediam captivorum turbam, eisque petulanter exprobrasse suam calamitatem, libere dixit, cum, o rex, Fortuna tibi Agamemnonis personam imposuerit, non pudet te factis agere Thersiten? Ea vox totum regem in diversum vitae genus immutavit.*⁵²

Hoc apophthegma Ferrich hisce versibus exprimit:

29

Largius ut potum regem saltare Philippum
in turba Demades viderat, his monuit:

"quando tibi partes Fortuna Agamemnonis o Rex
cessit, Thersidem te haud pudet hic agere."

Omittit Ferrich nonnulla verba, exempli gratia 'captivorum', 'cum amicis'; vim bene servavit ac rei facetiam.

⁵¹ PSC, 117r, ap. 28.

⁵² PSC, 267v, ap. 91.

Proximum Erasmi apophthegma est LXI ex libro III in quo de Aristippo disserit, qui, naufragium passus tandem litore potitus est.

*Quodam tempore cum civibus aliquot suis navigans naufragio eiectus est. Cum in litore vidisset figuras mathematicas in harena depictas, salva, inquit, res est amici. Hominum vestigia conspicio.*⁵³

Ferrich hoc modo hanc fabellam interpretatus est:

31

Cum rate Aristippus fracta in proclive nataret
littus, se a pelagi fluctibus eripuit
pluribus aspectis in arena forte figuris
docta habilis duxit quas geometra manu
Ad socios versus, "salva est res," clamat, "amici,
hic vestigia ego quippe hominum intueor."

Ferrich verbo 'naufragii' non utitur sed 'pelagi fluctus' dicit. Item pro 'eiectus est' ponit 'eripuit'. Figuras non mathematicas dicit, sed 'geometra manu' ductas. Finem omnino paene idem habet ac Erasmus.

Insequens Erasmi apophthegma de Dionysio eiusque filio verba facit. Invenitur libro V, numero IV signatum, et titulum habet *Liberalitas regia*.

*Rursus cum ad filium ingressus conspexisset vasculorum aureorum et argentorum magnam vim exclamans: non est, inquit, in te regius animus, qui his poculis quae a me tam multa accepisti, neminem tibi amicum feceris. Sentiens absque civium benevolentia regnum nec parari nec teneri. Benevolentiam vero maxime conciliat benignitas. At iuvenis rerum imperitus putabat esse felicius habere argentum et aurum quam amicos.*⁵⁴

Quae verba Ferrich hac ratione reddidit:

⁵³ PSC, 101r, ap. 61.

⁵⁴ PSC, 180v, ap. 4.

33

Ad natum ingressus Dionysius, aurea apud se
vasa (patris munus) multa ut habere videt
exclamans animus non est tibi regius, ullus
cum nondum his partus sit tibi amicus, ait.

Potius quam ‘filium’ Ferrich ‘natum’ dixit. Vascula redit verbo ‘vas’ neque argentea memorat, sed tantum aurea. Pulchre Ferrich pro ‘amicum facere’, ‘amicum parere’ ponit.

Proximum epigramma est de Cornelio Lentulo et Cicerone, qui eum suum generum appellavit. Apud Erasmus titulus huius apophthegmatis est *Nulla proportio*, est in IV libro, numero XXVI signatum.

*Cum Lentulum generum suum, exiguae staturae hominem, praelongo gladio videret accinctum, quis, inquit, alligavit generum meum gladio? Videbatur homo gladio alligatui, non gladius homini.*⁵⁵

Ferrich versibus hoc modo:

51

Lentulus exiguo qui corpore cum graderetur
precinctus longo plus satis ense latus
Tullius aspiciens, “gladio quis, queso, ligavit
nostrum ridicule quis generum?” Petiit.

Ferrich ‘exiguam staturam’ reddit ‘exiguo corpore’, et porro non ‘gladio’ sed ‘ense’ usus est. Addit adverbium ‘ridicule’ ut vim augeat meliusque exprimat. Apud Erasmus sequitur explanatio quam Ferrich omittit.

Etiam insequens apophthegma est de Cicerone qui filiam suam Tulliam itemque generum Pisonem, male ambulantes delusit. Titulus est *Incessus decorus*, libro IV inest, numero XXVIII signatum.

⁵⁵ PSC, 166v, ap. 26.

Cum Tullia Ciceronis filia concitatus incederet quam deceret foeminam, contra Piso gener lentius quam deceret virum, ambos eodem dicto taxavit, filiae praesente genero dicens: ambula ut vir.⁵⁶

Ferrich hanc iucundam scaenam hoc modo reddidit:

67

Veloci nimium Marci cum filia gressu,
contra autem lento Piso gener se ageret.
Sic ambos dicto Cicero perstrinxit eodem:
“Filia, cum graderis, gressum imitare viri!”

Quod apud Erasmum est ‘concitatus’ Ferrich reddidit ‘nimium veloci gressu’ quod eitam maiorem vim habet. Ferrich non dicit ‘taxavit’ sed ‘perstrinxit’, et verbum ‘graderis’ ponit pro ‘ambula’

Apophthegma quod sequitur est de Socrate, de quo Erasmus plura scripsit, immo tertius liber incipit cum apophthegmatibus Socraticis. Hoc invenitur numero LXXIII signatum, in libro III.

Eo die quo bibiturus esset venenum, cum detractis compedibus ex frictu sensisset voluptatem, dicebat amicis: quam mire hoc natura comparatum est, ut hae duae res sese invicem comitentur, voluptas ac dolor, nisi enim praecessisset molestia, non sentirem hanc voluptatem.⁵⁷

Quae verba Ferrich hac ratione versibus hendecasyllabis donavit:

74

Postquam de pedibus (nam eo bibendus
die lethiferae calix cicutae)
Socrati gravia abstulere vincla

⁵⁶ PSC, 166v, ap. 28.

⁵⁷ PSC, 89v, ap. 73.

† † illico sensit, admonesque (sic!)
manum ut perfricuit, subit voluptas.
Tunc adstantibus ille sic amicis:
“quam miro ordine provida hoc paravit
Natura assiduo, duae ut vicissim
hae res se excipiant, dolor, voluptas.”

Ferrich potius ‘cicutam’ quam ‘venenum’ dicit. Nam eo prorsus veneno sumpto Socratem obiisse scimus. ‘Detractis compedibus’ reddit ‘gravia vincla abstulere’, deinde ‘invicem comitentur’ reddidit ‘vicissim excipiant’.

Apophthegma quod sequitur I libro inest numero XXXVII signatum. De rege Agesilao agitur, et quam ob causam Spartiatae ad tibiae cantum pugnam inire exerceant.

Roganti quam ob causam Spartiatae ad tibiae cantum iniri praelium exerceantur, ut cum ad numerum, inquit, incedunt, appareat qui formidolosi sint, qui fortes. Nam anapestorum incus strenuis addebat animum, vehementer meticolosis pallorem ac tremorem incutiebant. Itaque cum pes non responderet ad modulos tiliarum, prodebaturn ignavorum imbecillitas.⁵⁸

Quod apophthegma Ferrich sic versibus illustravit:

75

Cur ineundum ante ancipitis certamina Martis
Tibia Spartanis praecipit Agesila?
Ut gressum dum aptant numeris appareat, aequis
illorum forti pectore, quis paveat.

Disticho elegiaco Ferrich hoc apophthegma reddidit, atque multa omittit quae sibi non necessaria ad sensum viderentur. Itaque ‘praelium’ reddit ‘Martis certamen’, et ‘ad numerum incedunt’ optime exprimit ‘gressum dum aptant numeris’.

⁵⁸ PSC, 8v, ap. 37.

Libro tertio etiam a Iulio Caesare dicta continentur, quorum illud numero XXXVI signatam hic afferre velimus, in qua agitur de eius in Africam itinere.

*Cum Africam petens, in egressu navis prolapsus esset, omen sinistrum vertit in melius, dicens: Teneo te Africa. Frontinus id factum putat in consensu navis, eumque dixisse: teneo te terra mater.*⁵⁹

Quod apophthegma Ferrich hisce versibus expressit:

127:27⁶⁰

E navi exscendens Cēsar, dum pes male fallit
hostile in litus cernunt ille ruit.⁶¹

Lēvum alii hoc credunt ille in contraria verso
omine, “te,” exclamat, “iam Africa ego teneo.”

Perbelle Ferrich pro ‘prolapsus est’ ponit ‘pes male fallit’, quamquam multa adit quae apud Erasum non inveniuntur satis superque scopum attigit. Etiam ‘omen sinistrum’ nominat ‘laevum’.

Iam diximus VI *Apophthegmatum* libro varia mixtaque dicta inesse, neque absque re videtur unum saltem ex iis tractare. Numero LVIII signatum est apophthegma affert facete dictum a Lucio Galba, qui scurra fuit.

*Idem (sc. Lucius Galba) Mecenatem acceperat convivio, cumque sentiret illum velle ad ipsius uxorem ludere, simulavit se dormire, quo magis liceret Mecenati quod libebat. Interea cum accessisset aliquis volens quaedam e mensa tollere, ibi Galba, infelix, inquit, huic dormio, non tibi. De quo plura retulimus in Chiliadibus.*⁶²

Ferrich hoc modo disthico elegiaco vertit:

⁵⁹ PSC, 157r, ap. 36.

⁶⁰ Inde a pagina 44. manuscripti, hoc modo singula epigrammata signata sunt. Primus numerus significat inde a primo libro, secundus vero quotum epigramma est in hoc libro. Exempli gratia 98. epigramma ultimum est in libro primo, et liber secundus incipit cum 99:1.

⁶¹ Hic versus cum praeceptis metricis non congruit.

⁶² PSC, 252v, ap. 58.

359: 59

Suavior ut tanto foret hospite cena, solebat
 Męcenatem etiam Galba vocare suum.
 Gustatis haud parce epulis cum coniuge, ut illum
 liberius novit ludere velle sua.
 Somnum ementitus precludit lumina, nutans
 oscula, et amplexus possit ut ipse dare
 vix en cum servus deceptus imagine somni
 auratam e mensa surripuit pateram.
 Tum vero emicuit vigil, et nequissime clamat
 hic Męcenati non tibi somnus erat.

Ferrich ‘convivium’ omittit, sed ‘cenam’ scripsit, neque ‘uxorem’ sed ‘coniugem’ vocat. Suo Marte addit ‘pateram auratam’ et ‘servum’. Hoc exemplo conspecto Georgii Ferrich artem animadvertere licet, cum multa ipse addiderit quae sensum nequaquam mutant, immo potius ditant.

Inter apophthegmata Socratica illud etiam numeratur numero LX signatum in libro III. Nam de Socratis uxore, nomine Xanthippe, agitur, de qua Alcibiades philosophum interrogavit.

*Alcibiadi demiranti quod Xanthippen supra modum rixosam domi perpeteretur, ego, inquit, iam pridem his sic assuevi, ut non magis offendar, quod si rotae quae aquam educit et puteo stridorem audiam. Nam si stridor molestissimus est insuetis, eundem qui quotidie audit, adeo molest non fert, ut audire nesciat.*⁶³

Quod Erasmi apophthegma a Georgio Ferrich hunc in modum est redditum:

463:63

Sic Alcibiades admirans Socrati, acerbam
 qui Xantippem adeo dic bone ferre potes

⁶³ PSC, 88r, ap. 60.

“qui possum, assuevi iam pridem ego talibus, ac si
audirem trochleas usque domi obstrepere
querere mox pergit. Stridores anserum acutos
equo Alcibiade fersne animo ipse domi?
Pol, fero, nam pariunt pullos mihi et ova, mihi que
Xantippe pueros quod parit, ipse fero.”

Hanc Socratis et Alcibiadis scaenam Ferrich videtur magna ex parte mutavisse. Nam non ‘rixosam’ sed ‘acerbam’ appellat Xanthippem. Rotas putei ‘trochlea’ vocat, quod verbum apud Latinos scriptores rarissime adhibitum est.⁶⁴ Ultima pars omnino ab Erasmo differt, cum apud eum nihil Socrates Alcibiadem interrogavit, quod Ferrich sine dubio sua sponte addidit. Quod praesertim exemplo patet quo Xantippen cum anseris ova parienti comparavit, cuius molestam vocem stridoremque fert Socrates, cum liberos sibi pariat.

Insequens apophthegma est de Alexandro Macedoniae rege qui clarissimo oratori, Phocionis nomine, talenta dono missit. Quid iste hoc de dono putavisset, affert Erasmus IV libro, octavo numero.

*Alexander Macedonum rex centum talenta dono miserat Phocioni. Is vero percontatus est eos qui pecuniam adferebant. quid ita, cum essent Athenienses permulti, sibi uni illa mitteret Alexander. Illis respondentibus, quoniam unum te iudicat virum et honestum et bonum. Ergo sinat, inquit, me talem et haberi et esse. Ut scite arreptum ab illis argumentum torsit occasionem recusandi muneris.*⁶⁵

Georgius Ferrich versibus elegiacis hoc apophthegma reddidit:

494:94

Magnus Alexander Phocioni nobile Athenas

afferri munus multa talenta iubet.

⁶⁴ Semel apud Quintilianum apparet: *Iam tussire et expuere crebro et ab imo pulmone pituitam trochleis adducere et oris umore proximos spargere et maiorem partem spiritus in loquendo per nares effundere (...)* Quint. Inst. XI, 3.

⁶⁵ PSC, 161v, ap. 8.

Cui tulerat sic ille viris, cur civibus isthęc
uni ex innumero dicite missa mihi?
“Quod te,” respondent, “unum rex noster honestum
mortalem prę aliis iudicat, atque probum.”
Absque suis igitur donis, me talem et haberi
atque esse, hęc regi, quęso referte, sinat.

Ferrich dicit Phocionem versatum esse Athenis, quod apud Erasmum non legitur. Non
‘honestum et bonum’ sed honestum atque probum mortalem’ appellat Phocionem
Ferrich. Finis paene idem est apud utrumque, nam Phocio dixit se etiam sine donis
esse talem et haberi.

Proximum exemplum quod allaturi sumus est de regina Semiramide, quae Babylona
condidisse fertur. Haec apophthegma inest apud Erasmum libro V.

*Semiramis Carum regina, quae Babylonem condidisse dicitur, monumento
quod sibi pararat inscripsit: quisquis rex pecuniis egerit, aperto monumento
quantum voluerit capiat. Darius potitus ea civitate titulo credens, saxum
ingens quo claudebatur monumentum, vix amolitus, nihil quidem invenit
pecuniarum, sed ex altero saxi latere hoc inscriptum reperit: ni vir malus
esses, et pecunia inexplebilis, haudquaquam mortuorum loculos moveres,
quanquam hoc aptius inter fragmenta, sive inter γελοϊα commemorandum
erat.⁶⁶*

Quod apophthegma Ferrich hoc modo versibus reddidit:

617:17

Quam struxisse ferunt Babylona, Semiramis, haec vult
verba suo moriens sculpier in tumulo.
“Si cui regnum opus est auro, busto hoc adperto
Ille sibi hinc animi sumat ad arbitrium.”
(Ille sibi capiat quam lubet inde sibi)
Darius titulo credens simulatque potitus

⁶⁶ PSC, 175r, ap. 8.

Urbe hac, admoto vecte levat lapidem.
Promisi tamen ille intus nil reperit auri,
scripta sed adversa talia parte videt:
“Ni malus ipse fores vir et insaturabilis auro,
exanimum haud essent mota sepulchra tibi.”

Pro ‘monumentum’ Ferrich ‘tumulum’ et ‘bustum’ ponit, quamquam idem est sensus. Darius nimirum est ille Darius I. Magnus, Persarum rex, quem Ferrich dixit vecte usum in lapide movendo, quod apud Erasmum non legitur. Non ‘inexplebilis’, sed ‘insaturabilis’ dicit Ferrich, neque ‘mortuos’, sed ‘exanimos’ dicit.

Apophthegma Erasmi de quo proxime verba faciemus agit de rege Agide primo. Huius fabellae titulus est *Solertus* cum rex suos milites, hostibus iterum invadentibus, hortatus esset ut pugnam forti animo susciperent.

*Vicerat Argivos proelio, qui post redintegratis viribus rursus ferociores illi occurebant. Agis itaque conspicatus multos e sociis turbari: sitis, inquit, bono animo viri. Cum enim nos qui vicimus trepidamus, quid facere censetis eos qui a nobis victi sunt?*⁶⁷

Ferrich hoc modo interpretatus est:

430:30

Vicerat Argivos Agis: hi post praelia rursus
collectis urgent viribus asperius
palluit ore Lacon exterritus: ille ubi sensit
“Eia agedum, forti vos,” ait, “esse animo
si nos namque timor qui vicimus occupat, hostes
qui victi, in quanto creditis esse metu.”

Ferrich pro ‘redintegratis viribus’ usurpat ‘collectis viribus’, quae apud probatissimos scriptores bona habetur locutio. Erasmus de Lacone nihil, at Ferrich eum memoravit, item non dicit ‘trepidari’ sed ‘nos timor occupat’.

⁶⁷ PSC, 18v, ap. 94.

De Xenocrate, nobili in primis philosopho, Erasmus apophthegma attulit, qui a rege Alexandro pecuniam sibi missam recusavit. Huius fabellae titulus est *Liberalitas*.

*Xenocrati philosopho quinquaginta talenta dono misit Alexander. Ea cum recusasset accipere, dicens sibi non esse opus, interrogavit an ne amicum quidem ullum haberet cui esse opus. Nam mihi, inquit, vix Darii opes in amicos suffecerunt. Hic utrius animum magis admirari conveniat, nondum statui, regis ne tam ad liberalitatem propensum, an philosophi qui tantum munus a tanto rege ultro delatum remiserit.*⁶⁸

Ferrich de Xenocrate hisce versibus:

90

Legatos ad Xenocratem vim iusserat auri

multam ut Alexander nomine ferre suo.

Illi in gymnasium venientes comiter inferi

sobria ubi ac tenuis mensa parata viris.

“Dum eras cui es numerent poscunt: quod talia sperno

hesterna a cena non didicistis,” ait.

Hoc in apophthegmate Ferrich videtur non unius tantum, sed multarum fabellarum argumento usum esse. Haud parum altera pars cum fabella Erasmi congruit quam ob causam eo ducimur ut censeamus Georgium Ferrich hic et inde materiam sumpsisse. Roterodamus legatos non memorat, neque auri magnam vim, sed talenta, quod Ferrich aliter expressit.

De Antigono, Macedonum rege proximum disserit apophthegma. Qui milites suos in extremum inextricabilemque lutum redactos alloquitur.

Antigonus cum nocte quadam quosdam e militibus suis exaudisset omnia mala imprecantes regi, qui ipsos in illud iter et inextricabilem lutum induxisset,

⁶⁸ PSC, 136v, ap. 30.

*accessit ad eos qui maxime laborabant: eos cum ignorantes a quo adiuventur explicuisset, nunc, inquit, maledicite Antigono, cuius vitio in has miserias incidistis. Sed ei bene optate, qui vos ex hac voragine eduxit. Hac vindicta contentus erat regis vere excelsus animus.*⁶⁹

Quam fabellam Ferrich hac ratione interpretatus est:

493:93

Per loca fēda luto tenebrosa in nocte moveri
castra ubi contra hostem iusserat Antigonus
militum ibi e numero quosdam sibi dare precantes
audiit, immersis dat tamen ipse manum.

Nosse virum qui sic bonus adiuvat, haud licet omnes
verum ubi ab immundo sustulit ille vado
“Nunc” ait “Antigono, qui huc intulit, omnia lēva
dicite, fausta illi, qui hoc levat a lavacro.”

Magnanimo illa duci, atque excelsi pectoris instar
supplicii vox est unica visa satis.

Ferrich noctem insuper ‘tenebrosam’ vocat, ac porro non ‘adiuvare’ dicit, sed multo quidem pulchrius ait ‘dat immersis manum’. Non ‘bene optate’ dicit Ferrich sed ‘fausta dicite’. Regi Antigono non ‘excelsum animum’ sed ‘excelsum pectus’ tribuit, quod saepe unum idemque significat.

Hoc apophthegma est de Antisthene Atheniensi, qui interrogatus de matre sua, Phrigia oriunda, respondit nihil regionem pertinere ad ingenium hominis.

*Cuidam obiicienti quod Antistheni mater esset Phrygia: et deorum, inquit, mater. Ridiculum arbitrans cuiquam probro dari patriam, cum in damnatissimis regionibus interdum nascantur felicissima ingenia.*⁷⁰

⁶⁹ PSC, 143v, ap. 26.

⁷⁰ PSC, 298v, ap. 38.

259: 59

Matre quod Phrygia fuisset ortus
Cuidam Antisthenes id sibi exprobranti
“ergo”, inquit, “Phrygiam, o inepte, nescis
Deorum Cybelem fuisse Matrem.”

Maximi momenti est animadvertere Georgium Ferrich pro Phrygia terra usum esse Cybele, quae dea est illa in regione maxime culta, immo cives eam Magnam Matrem nuncupant. Quod sibi vult etiam deos in remotissimis terris posse exoriri, neque hoc multum referre ad indolem.

Hoc apophthegma est de Archidamo qui eminus pugnam suscipere respuebat quia tantum in pugna comminus suscepta virum fortem agnoscere possumus.

Ubi vidisset iaculum catapulta mittendum id temporis primum ex Sicilia advectum, exclamans, inquit, Hercules periit viri virtus. Quoties enim instrumentis bellum geritur quae misso telo saxove procul feriunt, minimum interest inter fortem virum et ignavum. Verum ibi comminus res gerit, tum apparet qui viri, qui non.⁷¹

Ferrich his versibus reddidit Archidami dictum:

28

Archidamus pugnari placet cui comminus ense
Vectum ora e Sicula grande videns iaculum
Longius e catapulta mittendum, “hercle, viri omnis”
exclamat, “virtus iam penitus periit.”
Pol sic, nam haud distat tum sortis dissidi, ubi armis
at prope res geritur, vis ibi vera patet.

Est animadvertere utrumque scriptorem de catapulta primum in Sicilia inventa locutos esse. Ferrich mediam partem omittit ac ultimam sententiam aliter exprimit quam

⁷¹ PSC, 26v, ap. 55.

Erasmus. Non dicit ‘interest inter fortem virum et ignavum’ sed ‘nam haud distat tum sortis dissidi’. Verbum ‘comminus’ explanat verbis ‘at prope res geritur’, et pro ‘virum’ ponit ‘vim’.

Proximum apophthegma est de Catone et baiulo⁷² quodam, inest V libro, numero IL signatum sub titulo *Admonitio fera*.

*Cato percussus ab eo qui arcam ferebat, cum baiulus diceret, cave, rogavit num quid aliud ferret praeter arcam. Nam quod ad arcam attinebat, serum erat dicere cave. Simulavit itaque se moneri de alio quopiam onere, quod de arca, unde cavendum esset.*⁷³

Quod apophthegma Ferrich hisce versibus reddidit:

108: 10

Arcam humero gestans percussit terga Catonis

Baiulus, et vocem dat simul ut caveat.

Cui Cato: “fer: ne aliud quoniam cave dicis inepte
ante ictum tali voce monendus eram.”

‘Baiulum’ uterque auctor memorat, deinde apud Erasmus videmus verbum ‘ferre’ sed Ferrich potius ‘gestare’ dicit. Eodem modo Ferrich verbum ‘dicere’ pulchrius reddidit ‘vocem dare’.

Proximum apophthegma agit de Scipione Minore qui luxuriam nimiam et pessimos mores damnavit.

Cum Memmii cuiusdam tribuni militum iumenta intercepisset, vasculis lapideis refrigerando vino paratis, ac poculis Thericleis, hoc est operose factis onusta: mihi quidem, inquit, ac patriae dies triginta, tibi ipsi vero per omnem vitam, cum talis sis, teipsum inutilem reddidisti. Significans bellum quod pro patria gerebatur, mensem fortasse duraturum. Parum autem esse quod tum militem praestaret inutilem, sed

⁷² Baiulus est proprie qui corpore portat, Graece ἀχθοφόρος. FORCELLINI 1805, 422.

⁷³ PSC, 217r, ap. 49.

*multo gravius, quod si pergeret esse talibus moribus, perpetuo civis inutilis esset futurus.*⁷⁴

Ferrich hoc modo versibus reddidit:

109: 11

In iumenta aliquot cum onusta Memmi
(militum fuerat tribunus iste)
minor Scipiadum⁷⁵ incidisset, atque
gestari aspiceret refrigerando
vino idonea vascula atque gemmis
ornatas pateras (inanis usus
dura in militia) hunc adortus hisce
vocibus: “mihi patriaeque Memmi
ad triginta dies (putabat hoc nam
bellum tempore desidurum) et ipsi
cum sis moribus hisce sane in omnem
te vita tibi inutilem ad severa
civis munia quaeque reddidisti.”

Hoc apophthegma de Memmio, militum tribuno, Ferrich hendecasyllabis Phalaeciis composuit, cuius mores Scipio Africanus Minor fastigat. Ferrich addit ‘Minor Scipiadum’⁷⁶, neque memorat vascula fuisse ex lapide confecta. Pocula Thericlea⁷⁷ Ferrich omittit, at dicit ‘gemmis ornatae paterae’. Memmio haud bonis moribus praedito, dixit fore ut non solum in bello sit inutilis, sed etiam in reliqua vitae parte.

In sequenti apophthegmate verba fiunt de Epaminonda, Thebanorum duce, qui victoriam contra Spartanorum exercitum peperisse fertur.

⁷⁴ PSC, 222r, ap. 15.

⁷⁵ Hic nempe Publium Cornelium Scipionem Africanum Aemilianum (II. saec. a. Ch. nat.) significat, ducem et oratorem. ŠKILJAN et al. 1996, 521.

⁷⁶ Nempe Scipionum gentis participem sibi velit.

⁷⁷ Haec pocula a Thericle, notissimo artifice et fingendi perito, nomen ducunt. Cicero de his: *De hoc Verri dicitur habere eum perbona toreumata, in his pocula quaedam, quae Thericlia nominantur, mentoris manu summo artificio facta.* Cic. *Verr.* II, 4.

*Ex omnibus quae praeclare et honeste gessisset in vita, illud sibi dicebat esse iucundissimum, quod utroque parente vivo Leuctrica pugna vicisset Lacedemonios. Vir pius non tam sibi gratulatus est eam obtigisse gloriam, quam hanc voluptatem ex se contigisse his, quibus vitam suam acceptam ferebat.*⁷⁸

111: 13

Multa Epaminonda gesti (sic!) quod fortia, quaenam

plus aliis placuit res tibi scire velim.

Haec certe Leuctris acies, utroque parente

vivo, ego p[uta]vi, quod Lacedemonias.

Initium Ferrich nonnihil mutavit a sensu aliquantulum aberrans. Non aperte affert Leuctricam Lacedemonios vicisse, neque medullam bene expressit. Vix percipi licet Leuctricam fuisse pium quod se pugna non iactaverat sed parentibus, quibus vitam deberet, egisse gratiam.

Hoc apophthegma est de garrulo quodam Aristotelem taedio afficienti diutissime, at ille dixit se animo haud esse praesentem.

*Cum garrulus quispiam ubi multa nugatus esse apud Aristotelem, tandem, dixisset, fortassis obstrepo tibi nugis meis: hon hercle, inquit, neque enim adverti animum.*⁷⁹

Ferrich versibus hoc modo reddidit:

184: 85

Coram ubi Aristotele in multas prolixius horas

quidam insulse usque ad tedia garriarat.

Sic tandem tibi forte meis ipse obstrepo nugis

haud Hercle, a te absens nam mihi longe animus.

⁷⁸ PSC, 201v, ap. 10.

⁷⁹ PSC, 313v, ap. 24.

Ferrich posuit ‘in multas prolixius horas’ volens vim maiorem huic fabellae addere. Neque, ut Erasmus, dicit ‘animum advertere’, sed ‘longe absens animus’. Sensus tamen idem est: Aristotelem vix aures praebuisse garrulo nugas dicenti.

Proximum apophthegma est de Anacharsi qui rogatus est quod navium genus esset optimum. Hoc inest libro VII numero XIII signatum, sub nomine *Navigatio*.

Percontanti quae naves essent tutissimae, quae, inquit, in siccum protractae sunt. Solent enim olim naves iis mensibus quibus mare navigabile non est, machinis quibusdam in siccum pertrahi. Anacharsis sensit omnem navigationem esse periculosam. At ille de genere navigii percontabatur. Sunt enim Liburnicae, onerariae, actuariarumque naves, aliaeque diversi generis, in quibus alia est alia adversus tempestatem instructor.⁸⁰

Ferrich hoc modo reddidit:

758:58

Quae pro aliis ratis est tutissima, dic Anacharsi.

Sola ea, quam in siccum navita traxit, ait.

Satis longum apophthegma Ferrich duobus tantum versibus reddidit. Omittit navium genera, sed utcumque sensum servavit.

Proximum apophthegma est de Anaxagora, invenitur sub nomine *Lucrum ex damno*, libro VII, numero VI signatum.

Post diutinam peregrinationem domum reversus reperit patriam possessionesque suas desertas. Nisi, inquit, ista perissent, ego salvus non essem: Quod calamitas illum adegisset ad philosophiam, rebus autem integris mansisset intra Penates suos. Ita saepenumero prospera sunt homini quae videntur adversa, et quod damnum putatur ingens, lucrum est maximum.⁸¹

⁸⁰ PSC, 302r, ap. 14.

⁸¹ PSC, 303v, ap.6.

Ferrich id reddidit hisce versibus:

759:59

In patriam longos post cursus cum rediisset

cuncta sua adespexit, diruta Anaxagoras.

Haud animo indoluit, quin letus: “si ista perissent

non mi, inquit, certe non ego salvus eram.”

Pol ita! Namque domi res stantes detinuissent,

prostratae, ut Sophiam quaereret impulerunt.

Ferrich pro ‘diuturna peregrinatione’ posuit ‘longos cursus’, neque ‘deserta’ dicit, sed ‘diruta’ esse cuncta. Non memorat ‘calamitatem’ sicut Erasmus, et ‘philosophiam’ tantum ‘sophiam’ vocat.

Proximum est apophthegma de Socrate cui vir quidam filiolum tradidit educandum. Invenitur apud Erasmum in libro III, numero LX signatum. Titulus eius est *Oratio speculum animi*.

Cum dives quidam filium adolescentem ad Socratem misisset, ut indoles illius inspiceret, at paedagogus diceret: “Pater ad te, o Socrates, misit filium, ut eum videres”, tum Socrates ad puerum “Loquere igitur, inquit, adolescens, ut te videam.” Significans ingenium hominis non tam vultu relucere quam in oratione.

Quam fabellam Ferrich hoc modo interpretatus est versibus hendecasyllabis:

552:52

Quidam ad Socratem homo pecuniosus

misit filiolum, ut vir ille lynceus

posset inspicere indolem puelli.

Cumque diceret ista paedagogus

“Hunc ad te voluit pater puellum

mittere, ut quo animo sit ille, et in quam

spem crescat, videas”. “Loqui, ergo”, tum ille,

“incipe, ut videam te, ephebe, quis sis. ”

Pulchre, nam speculum fidele mentis
est oratio, decipitque numquam.

Non ‘dives’, sed ‘pecuniosus’ dicit Ferrich, porro vocat Socratem ‘virum lynceum’. ‘Filius’ vocat ‘puellus’, id est parvus puer. Rarissime Ferrich, ut hoc in epigrammate, posuit sententiam in fine, ipsius Erasmi vestigiis insistens, qui singulis apophthegmatibus brevem sententiam, medullam continentem, addidit.

III. 4. Commentarii aliorum Georgii Ferrich *Apophthegmatum*

Hic alia Georgii Ferrich apophthegmata, a nobis transcripta, proponere velimus, necnon inspicere quid in iisdem peculiare sit, paucisque verbis singula commentari.

2

Spartanae in bello cum fortiter occubisset
contra hostes pugnans filius innumeros
ante diem raptum haud flevit, sed pectore forti
exclamat “soboles vere erat illa mea.”

Ferrich hoc in loco egregium exemplum femineae virtutis affert, cum Spartana filium in pugna amississet, ne lacrimam quidem effundens, sed constanti animo erat dicitque sibi honori esse talem filium habere qui pro patria mortuus esset. Hoc est genus epigrammatis in quo Ferrich non certam personam affert, sed feminam, vel potius matrem, quae est exemplar fortitudinis ac virtutis omnium matrum Spartanorum.

32

Suadet Alexandro numero nam plurimus hostis
nocturno ut pugnet tempore Parmenio.
Rex cui praesidio tenebrarum vincere turpe est:
“non victoriam”, ait, “fruor ego, at rapio”.

Parmenio⁸² consilium praebuit Alexandro ut in tepestiva nocte in hostes invaderet, sed iste tale propositum despiciuit dicens non sibi necessarium esse victoriam adipiscere sed etiam ea frui quod noctu non convenit. Est igitur melius opportunum expectare tempus quo res suscipiatur, neque per dolum velle eam consequi.

73

Septem quod chordis alias novitatis amore
Timotheus cantor nobilis addiderat.
Ex ephoris⁸³ unus capto ense ita postulat, illam (sic!)
a parte adiectas vir citharae ut resecem (sic!)
usque adeo morem contra nil Sparta sinebat
vel leve ut institui possit in Urbe novi.

Postulavit vir quidam a Timotheo cantore, ut chordam a se superadditam gladio reseceret. Hoc bene monstrat quantum Spartaee leges et mores valerent, cum ne chordam quidem instrumento addere licebat, necdum maiora patrare quae moribus reluctarentur. Nimirum Ferrich eo modo Rhagusam cum Sparta comparat, in qua tunc temporis mores in peius mutari videbantur.

76

Dictum ut Olympiadi formosam adamare Philippum
faeminam, et hanc Regi Thessala filtra⁸⁴ dare.
Protinus acciri iussit cum forma placeret
oris, et in pulchris ignea vis oculis
queis accedebat felix et copia fandi
nec non ingenii vivida dexteritas.
Iam valeant, inquit, qui te dare philtra Philippo
Incusant, dotes, Pol, tibi philtra, duae.

⁸² Fuit Parmenio in exercitu Alexandri et Philippi Macedoniae regis militum praefectus.

⁸³ Ephori fuerunt magistratus Spartanorum a Theopompo instituti ad referendam potestatem regis et senatus, ut apud Romanos tribuni plebis consulibus oppositi fuere. FORCELLINI 1805, 280

⁸⁴ Philtrum est amatorium poculum quod in amorem, et plerumque in insaniam inducit. FORCELLINI 1805, 703. Iuvenalis de hoc: *hic magicos adfert cantus, hic Thessala uendit philtra, quibus ualeat mentem uexare mariti et solea pulsare natis*. Iuv. VI., 610-612.

Speciosam feminam adamasse regem Philippum ferebatur eique potionem amatoriam poculo infudisse. Cui statim rex ut propius accederet imperavit, et cum vidisset eam esse non solum figura sed ingenio insuper acri ornatam dicit duas quasi habere dotes. Cuius fabellae scopus in eo est quod homines etiam intrinsecus habent dotem nec tantum specietenus.

110: 12

Quaesitus Caesar postquam donarat amicis
omnia, liquisset quid sibi, spem retulit.

Breve satis Ferrich haec Caeasar's verba atulit, qui, cum ex eo quaereretur quid sibi servavisset, quia amicis omnia dedit, dixit se tantum spem retinuisse. Quod pulchrum est testimonium spei semper habendae et omnibus in rebus servandae. Hoc epigrammate Ferrich optime suam scribendi facultatem expressit, quia non multa epigrammata duobus versibus continentur, at illa, licet pauca, perbelle metam attingunt.

147: 49

Pindarus⁸⁵ alta canens fulcimen Graeciae Athenas
Esse ait, id carmen magnificum ut recitant
Spartanus miles sic corrigit: haec cave credas
Graecia fulcro illi nam mali nixa cades.

Poetam et musurgum Pindarum Athenis laudes cantantem quidam Spartanus miles interpellavit Athenas malum esse Graeciae fulcrum. Annuit hoc modo Spartam esse potioem Athenis, quoniam militari laude ornatur, vero cuiusvis civitatis fulcro et fulcimine. Ferrich in hoc epigrammate mores Atheniensium male taxat, quod etiam in suis operibus facere solitus est, cum in quosdam homines, tum in totas regiones ob corruptelam et demutationem morum.

⁸⁵ Pindarum (522-446) Graecorum poetam fuisse constat, qui non solum variis in generibus carminum sese exercuit, verum etiam modos musicos eis aptavit. ŠKILJAN et al. 1996, 467.

148:50

Qui legere octo duces belli assuescere quotannis⁸⁶

rex Macetum⁸⁷ irridens talia Caecropidis:

vos, o felices, tot qui, et tam saepe per annos

dum multos, unus vix mihi Parmenio.

Macetum rex Alexander ludibrio habuit Athenienses singulis annis octo duces ad bellum colligentes, dicens sibi unum Parmenionem sufficere. Cui, igitur, magna fuit cum belli experientia, tum etiam militum auctoritas, qua eos octo Athenienses duces sine negotio superari posset.

183: 84

Leuctrica⁸⁸ ut e pugna fugit iis (sic!) magna Laconum
legibus et mortem iam subitura fuit.

Hanc labem ignosci (defesta Urbs milite namque est)

at frangi haud leges dum cupiunt Ephori

ecquid agunt? Legum Agesilaum statuere novarum

latorem, ut trepidę consuleret Patrię.

In medium hic prodit dum sic: “quas alta Lycurgi

mens reperit leges stent, Lacedemonii

his ego nil addo, nil detraho, id impero tantum

incipiant robur, cras ut habere suum.”

Qui e pugna apud Leuctricam gesta fugit ad mortem iuxta Spartanorum leges ducendus erat, sed morem ephori gerere cupierunt et hanc culpam ignoscere. Novum itaque legislatorem Agesilam statuerunt ut patriae haesitanti consuleret. Iste nihil novi proposuit nisi Lycurgi leges esse observandas postridie, quod significat mortem tantum unum diem dilatam esse. Serius ocius, quisquis contra leges egerit puniendus erit.

⁸⁶ Hic versus non bene cum re metrica congruit.

⁸⁷ Macetae, um, m/pl. sunt Macedoniae cives. Eorum rex hic est Alexander Magnus.

⁸⁸ Pugna apud Leuctricam gerebatur anno 371. a. Ch. n. inter Thebanos et Spartanos, quorum primi superiores ex ea discesserunt.

186: 88

In sella Romanum hominem cum forte curuli⁸⁹

gestari aspiceret vir Lacedemonius:

“Dii prohibete,” inquit, “sedeam isthinc, unde ego viso
assurrexe (sic!) seni protinus, haud valeam.”

Lacedaemonius admiratur Romanum sella curuli vehementem, dicens se non velle ea honore frui. Istud dixit ne forsitan deberet seni locum cedere quia apud Romanos tantum hominibus aetate provectoribus hoc munere fungi licebat. Etiam in eo est iocus, quod quisque facile de sella curuli cadere potest, si seni locum cedre voluerit.

257: 57

“Quid de his, qui e pugna in templum fugere Minervę
vis fieri, Agesila?” Sic petiere sui.

Quamque ille immani tunc ira accensus in omnes
se contra armato corpore qui steterant

vulneraque in pugna quoque rettulit, haud male clamat
his “facite, immunes nam fecit Ara Deę.”

Non te ego Diis equum, in cuius plus pectore mitis
religio, quam irę turbida vis potuit.

Quidam ex regis Agesilai militibus pugnare desiverunt et ad Minervae fugerunt. Ille egregius rex, non iis iratus, omnes hortabatur ut fortiter pugnarent quia ara deae eos immunes fecerit. Cum intus religionem colebat, nihil potuit regi nocere irae vis propter milites qui aberant.

258:58

Dum se in amicitiam cupit addere Lurco Catoni

Austeris dictis reppulit hisce senex:

“Tu ne putas mecum te vivere posse, palati
plus ego quam novi pectore quam sapere.”

⁸⁹ Sella curulis magistratus honorem indicat. Ex Gabio Basso traditur sellam dictam curulem ex eo, quia in veterum aetate qui curulem magistratum gessissent, curru soliti, honoris gratia, in curiam venire, in quo curru sella esset. FORCELLINI 1805, 925.

Cum Catone amicitiam inire cupiens quidam Lurco, gravem vehementemque repulsam accepit. Nam Cato respondit nullam penes eum esse sapientiam, neque eam ob causam posse sub eodem tecto habitare. Ultimi duo versus non optime Ferrich expressit quia sensus non primo obtutu percipi potest. Ferrich affabre locutione ‘in amicitiam se addere’ usus est, similiter Cicero ‘ad amicitiam se conferre’.

260: 60

Arcesilam podagra⁹⁰ urebat, cum invisere venit

Carneades, mox hinc tristis abire parat.

Sensit ut ille, “mane queŕso,” inquit, “nam nihil illinc ostensis pedibus pectoreque huc subiit.”

Arcesilam morbo pedum aegrotantem Carneadus visitavit, neque diu apud eum moratus iam abire festinat. Quod cum Arcesilas animadvertit statim rogavit eum ut maneret, quia nihil ostensis pedibus aegrotantibus in domum venit. Hoc est epigramma in quo duorum personarum apparent nomina et relatio. Saepe vidimus tantum ducem et populum, hic vero nomina utriusque hominis leguntur.

290: 90

Postquam acie victor Darius straverat hostes

sponse Intaphernis talia dicta dabat:

“vita tuorum uni dabitur quemcumque placebit
posce; libens votis ipse favebo tuis.”

“Da fratrem Rex ergo mihi.” Darius ad isthec
attonitus: “cur hunc preŕ sobole, atque viro?”

“Quod potis est alius, mihi vir contingere nati
atque alii ex isto surgere connubio.

Ast alium non est ut sperem aquirere fratrem
defunctus vita cum sit uterque parens.”

⁹⁰ Podagra est morbus articularis, praecipuo pedes infestans. FORCELLINI 1805, 742.

Darius rex, hostibus solo aequatis, feminae militum praefecto Intaphernis obtulit ut a morte unum ex familiaribus servaret. Illa vero, non filium neque maritum poposcit, sed fratrem. Nam, utroque parente mortuo, conscia fuit se iam fratrem numquam habituram, at filium et maritum alios adhuc habere posse.

292:92

Dum coram populo laudes orator Athenis

cesorum in bello Cecropidum recitat,

“at quales nostros” (quidam hic) “si hos laudibus ornas

qui vicere, putas, tu Lacedemonios.”

Orator laudibus extollebat Atheniensis regis mortuos milites in bello, quem quidam vir interpellavit dicens Lacedaemonios vel maiorem laudem assecutos esse. Saepe, cum de nostris rebus agatur nimium laudare solemus, aliorum laudem negligentes. Huius epigrammatis genus invenitur apud Erasmus sub commune titulo *oratores* ubi non nominatim eos attulit, sed potius rem expressit.

293:93

Ad regem legatus Agis se ferre Philippum

Spartani solus nomine vult populi

ut venit, “cur unus ades?” Rex poscit - ad unum.

Quidni unus, si apte rem queo perficere.

Agis legatus ad regem Philippum solus pervenit omnes Spartanos repraesentans. Rex miratus eum interrogavit cur unus venisset. Respondit se sine difficultate posse solus mandatum perficere. Quod significat non semper multitudinem praestare facultatem agendi si eam unus facere catus est.

294:94

“Spartani vincent, sed dux morietur,” aruspex

confectis sacris pręmonet his populum:

His Callicratides nil territus, “haud penes unum

res sunt Spartę,” inquit, “deteriusque nihil,

continget patrię, me extincto, verum ego in hostes
ni pugnam, et patrię dedecus obveniet.”

Quamquam Spartani ex pugna superiores evadent, ducem eorum moriturum esse praedicavit haruspex, quod vaticinium dux Callicratides vix timebant. Nam Spartanae res omnium interest et utcumque oportet eum in pugnam discedere, quod nisi faceret, patria honestatem amitteret. Ipsum nomen ducis Callicratidis voce Graeca significat eum qui pulchre regnat.

323:23

Tribunus plebis audit qui veneficus
quiquam legem dum ferebat, huic Cato:
“peius ne haurire, o iuvenes, id quod temperat
an id quod scribit adprobare, haud noverim.”

Hoc apophthegma hendecasyllabis Phalaeciis composita verba facit de Catone qui iuvenes monuit ne quidquam haurirent ex tribuni plebis legibus, neve affirmarent eiusdem scripta, cum potius detrimento quam usui essent. Ferrich hendecasyllabis saepius longiora epigrammata scribebat, hoc vero tantum duos versus habet, quod apud eum vix invenitur.

126:26

Vanum oratorem promittere populo verbis
audiit ut Phocion plurima magnificis:
“En, visu cupressus,” ait, “pulchra, ardua, semper
cui viror in foliis, fructus at omnis abest.”

Phocion, orator singularis, in vanum oratorem invectus est cum populum decepisse audivit. Eum cum cupresso comparat, quae nihil habet nisi pulchram figuram at fructu omni caret. Idem fallax orator ex cuius oratione nullus fructus percipi potest, nihil est nisi cupressus. Hic apparet genus epigrammatis in quo orator nobis nominatenus notus (Phocion) egit contra hominem ignotum, quod sibi velit non tanti esse hominem scire, sed rem, id est: non quis, sed quid.

360:60

A quodam hospite comiter vocatus
ad cenam Macedo Philippus, inter
ambulandum aliquos sibi qui amico
fuerunt animo, venire secum
ut umbras voluit. Novorum at ille
adventu comitum hospitem ut videbat
turbari huic numero apparatus esset
nimis ne tenuis, quid ille prompte
premisit puerum, qui eos moneret
singulariter, ut locum placentę
servarent. Dum igitur gulosiores
spe se huius recreant, dapesque parce
atingunt alias, satis profecto
omnibus fuit apparatus cęna
convivas simul ille sic faceto
elusit ioco, et hospitis pudori
pari consulerit sagacitate.

Item versibus hendecasyllabis conscriptum est aliud apophthegma de Philippo Macetum rege. Nam ad cenam vocatus quosdam ut umbras sibi in comitatum sumpserat, quorum numero hospes timebat fore ut cena non suficeret. Itaque puerum misit qui omnes moneret ut placentae spatium servarent. Hi parum comederunt placentam expectantes, cum hospes dixit cenam fuisse aparatam, quo ioco omnes elusit, quia vix quidquam cenae sumpsissent.

395:95

Cęsare ab Augusto Bithini filia regis
ut defensa acri vi fuit ingenii.

Ad benefacta in se ipse patris mox transit, et illa
dum verbis apte grandibus amplificat.

“Hęc remove,” huic Cicero, “Urbs etenim scit tota, quid isti
tu regi dederis, rexque quid iste tibi.”

Augustus servavit filiam Bithyni regis, quae statim beneficia patris erga Caesarem memorare cepit mirum in modum parentem laudans. Tunc Cicero dixit multo maiora benefica Augustum dedisse quam quod a Bithino rege accepit, filiam eius videlicet, quam nullius momenti esse censebat. Ferrich pulchre usus est *prosopopeia* cum dixerit ‘Urbs scit tota’, urbem Romam hoc modo inducens tamquam hominem.

397:97

“Quid, quæso pueris boni valebunt”

(Laconi advena) “ferre pedagogi
semper quos lateri assidere vultis!”

“Hoc unum Edepol! ut quæ honesta longo
reddantur quoque dulcia his ab usu.”

Advena Spartae rogabant quid paedagogi pueris tradere contentur cum iuxta eorum latus semper considereant. Nihil, aiunt isti, nisi ut res honestas reddantur dulces. In hoc epigrammate uterque homo ignotus est, ergo iterum maioris est comprehendere scopum, quam a quo sententia prolata sit.

431:31

In populi turbam scorti cum filius audax

par fatuo lapides proiicere inciperet:

“sacrilege,” inelamat Cynicus, “iam hæc desine, patrem
illic nam potes forte ferire tuum.”

Admodum rara sunt apophthegmata huius generis apud Georgium Ferrich, in quibus loquitur de scortis ac meretricibus. Quidam scorti filius lapides in turbam mittere cepit, cum ei Cynicus praecepit ut sisteret, ne forte patri suo noceret. Ergo utpote scorti filius omnino ignorabat quis eius pater esset.

432:32

Iniusta ob probra, queis⁹¹ petivit audax

Crates nescio quem virum vocatus

⁹¹ Quibus.

ut in iudicium fuit, rogabat
Philippum Harpalus, hic ut irrogatam
multam penderet, esset at solutus
a foro, ne homines mala exprobrarent
damnato id sibi. Tum Harpalo Philippus:
“prestat de illo alii male ut loquantur
quam nos propter eum male audiamus.”

Cum Crates aliquem virum ad tribunal vocasset propter opprobrium Harpalus Phillipus proposuit ut multam pecuniam solveret et a foro dimitteretur. Tum Philippus dixit Harpalo satius esse ut ille male audiat, quam illi propter eum.

462: 62

Multo indulserat ut Philippus olim
somno interdium, ad ostium otiosi
adstabant numero frequente Graeci
atque egro hanc animo moram ferebant
queri liberior palamque de ipso
rege ausi fuerant, quod ob supinam
eius pigritiam haud forent recepti.
Statim ad colloquium qui adsit, et audit
surgent Parmenio Patrocinator
“ne miremini,” ait, “Philippus altum
si nunc stertit adhuc, capitque somnos.
Nam quo tempore somnus in gerendis
vos rebus tenuit, vigil Philippus
non vobis celerem attulit salutem.”

Hoc apophthegma quoque hendecasyllabis Phalaeciis instructum est. Nam agitur de rege Philippo qui somnum interdium capessere decrevit, at iuxta ianua otiosi Graeci steterunt conquirentes donec a rege exciperentur. Quibus Parmenio dixit ne mirarentur Philippum alto somno esse oppressum, quia illis saepe dormientibus rex vigil numquam attulit salutem.

323: 23

Stylum exercuerat domi Alianus
rethor: materiam Tyrannus illi
Gymnis prebuit uberem. Hunc in hisce
forte Lemnius occupatum adivit
tum Philostratus, atque concitati
furenti ac similem audiit legentem.
“Quidnam pre manibus tibi est” requirit.
“Accusatio Gymnidem in Tyrannum
scribitur vehemens mihi.” Cui ille:
“laudem si tibi vita dum manebat
accusatus,” ait, “fuisset, at nunc
tonas dum eloquio, Aliane, in umbram
Tyranni, cui dic bono elaboras.”

Alianus orator domi exercuerat dicendi stylum cum Gymnis tyrannus sibi praebisset materiam de qua loqueretur. Tum Philostratus ad eum adit poscens quid manibus teneret, cui respondit Alianus se accusationem contra Gymnidem parare. Sed Philostratus haec verba miratus est cum Gymnidem mortem obiisse novisset, ac Alianum interrogat quem ad finem, eo mortuo, paret accusationem. Hic non unum, sed quattuor nomina apparere videmus, neque orator Alianus praecipuum locum obtinet, sed Philostratus, qui oratorem ludibrio habuit.

324: 24

Vomere agri partem fuerat que addicta sepulchris
proscindi vetitum religione fuit.
Vectius hisce nihil deterritus exarat agri
partem que tumulo sacra parentis erat.
Caesari ut hec referunt: “monumentum non patris,” inquit,
“hoc colere egregie est, quod facit iste modo.”

Quidam Vectius nomine agrum arabat iuxta sepulchra quae nefas erat vomere proscindi. Attamen iste patris sepulchrum proscindit quod Caesari statim delatum est.

Qui quidem dixit hoc modo non decere patrem colere ut iste facit. Inest hoc apophthegmate lusus verborum, nam ‘colere’ duplicem vim habet. Vectius aratro colebat terram, at patrem simul vix colebat eius sepulchrum scindens. Animadvertendum est quod in prima parte epigrammatis dicitur ‘sepulchrum’, in secunda vero ‘monumentum’, quod significat quamlibet rem quae monet mentem. Hoc sibi velit mentem Vectii moneri cum tale opprobrium sepulto patri fecerit.

386:86

Intentum cum quidam animo Phociona videret

“nescio quid magnum tu meditaris,” ait.

“Coniectas recte, nam cogito, qui mihi verba
in pauca ad populum sermo queat redigi.”

Quidam cum Phociona magnam rem parantem aspexisset, rogavit ut diceret quid tam magnum meditaretur. Cui orator egregius respondit se conari invenire genus sermonis qui magna multaue verba populo destinata possit paucis continere. Scilicet haud facile multas res posse paucis exprimi.

700: 98

Romano cum equiti illud exprobrasset

Cæsar, et vitio dedisset, ingens
quod patrimonium vorasset, inquit:

putavi esse meum, sibi inscien-
ter errore, et simulans id esse factum
sentiens tamen interim imputandum
haud culpæ sibi, quod suo profudit
quorum erat dominus, bona arbitrata.

Finis libri septimi

Iterum hendecasyllabis Phalaeciis usus est Ferrich in hoc apophthegmate de Caesare qui equiti suo id obiecit quod magnum patrimonium amisisset. Ille vero simulavit se hoc errore fecisse necdum se culpandum esse censebat cum non aliena, sed sua bona

profudisset. In eo est scopus huius apophthegmatis ac finis, quod sua quisque bona regnat eorumque est dominus, ac posse ea tractare quemque in modum velit.

IV. CONCLUSIO

Nonnullis igitur exemplis allatis non dubito quin Georgius Ferrich *Apophthegmatum* libros, tot saecula antequam ipse lucem aspiceret editos, quibusdam certis rationibus versibus reddere instituit. Primam itaque causam fuisse aliquid novi iuvenibus legendum proponere credo, cum iam pridem tale genus litterarum apud eum in pretio esset. Immo etiam hoc opere quandam doctrinam humaniorem cum civibus partitus est, ex qua hominum societas aliquid suci et emolumenti perciperet. Deinde, artem metricam se callere demonstrare voluit, quod ea tempestate maximi erat momenti, cum ad pueros educandos, tum etiam ad carmina rectis praeceptis scribenda. Postremo, videbatur ei idonea litterarum tractandarum via ac methodus non modo legere auctorum opera sed etiam sese diuturnis macerare laboribus decrevit quia nec facile fuit singulorum apophthegmatum sucum percipere, nec vel percepto, idem versibus dicere. Apertis verbis dicere possum haec apophthegmata omnino epigrammatibus esse similia, praesertim illa non tam longa. Variis in locis Ferrich demonstravit se optime linguam Latinam callere cum melius ipso Erasmo rem exprimeret, quod praesertim patet in iis epigrammatis in quibus longiusculam fabulam duobus versibus interpretatus est. Aliquando etiam, fatendum est, in caliginem deductus a scopo invitatus aberravit. Quod ad versus attinet scribit aut hendecasyllabis aut elegiaco versu, ad hanc occasionem accomodatissimo. Nonnullos versus male metro aptavit, ita ut praeceptis non respondeant. Quaedam apophthegmata longius scripsit quam debuisset, quaedam duobus tantum versibus. Si autem utriusque auctoris dictionem sive verba, id est λέξις respicimus, non possumus quin inter eos discrimina animadvertamus. Ferrich saepe non imitatur verba quae auctores antiquos non sapiant, e. g. pro *tinctora* posuit *color*, quia non usurpatur nisi ter apud Plinium Maiorem. Animadvertimus etiam hoc quod Ferrich saepe metri gratia quodam synonymum invenire cogebatur, quo melius sensum fabellae exprimeret. Hac in re insuper Ferrich ab Erasmo differt quia haud raro rem verborum circuitu explanat itque per ambages. In universum Ferrich videtur stylum antiquum affectare a quo Erasmus, quippe qui aetate renatarum artium vigerit, nonnihil discrepat. Opportebit, quo

funditus penitusque eius opus cum Erasmi comparetur, omnia apophthegmata in lucem edere, eorumque editionem criticam praeparare. Tunc tandem eius consilium patebit et quanta mentis acie praeditus fuerit et litterarum studio flagarit. Quod, cum factum fuerit, spero fore ut hocce opusculo nitatur eiusque solido fundamento insistat, quod, licet sit indigum, litteris nisi emolumento, tunc saltem firmamento fieri posse arbitramur. Dixi.

V. CONSPECTUS OPERUM ADHIBITORUM

Fontes

ASD, *Opera omnia Desiderii Erasmi Roterodami, recognita et adnotatione critica instructa notisque illustrata*, Brill, Lugduni Batavorum, 1969-.

ERASMUS (PSC), *Apophthegmatum opus*, apud Simonem Colinaeum, Parisiis, 1532.
Apophthegmata Erasmi Latinis versibus explicata (MSS.), Archivus conventus franciscani Rhagusae, sign. AMB 981 (Čulić 481).

Studia

CASNACICH, Augusto, *Biblioteca di fra Innocenzo Ciulich nella libreria de RR. PP. Francescani di Ragusa*, Zara, 1860.

ĆOSIĆ, Stjepan, „The nobility of the episcopal town of Ston“, *Dubrovnik Annals*, Dubrovnik, 2011 (5), 95-117.

FERIĆ, Đuro, *Slavica Poematia Latine Reddita*, Kritisch herausgegeben und eingeleitet von Gudrun Wirtz, Böhlau, Köln, 1997.

FORCELLINI, Aegidius, *Totius Latinitatis lexicon*, apud Thomam Bettinelli, Patavii, 1805.

NOVAKOVIĆ, Darko, „O otoku Lastovu, fragment *Periegeze Đure Ferića*“, *Latina & Graeca*, Zagreb, 2016, 83-97.

PARGA, Ivanus, *Lenitate, mansuetudine, caritate, erudire, fovere, provehere*, De arte docendi apud Erasmum Roterodamum, Romae, 2013.

PURATIĆ, Željko, *Đorđe Ferić*, *Latina & Graeca*, Zagreb, 1982.

PURATIĆ, Željko, „Paraphrasis psalmodum poetica“, *Živa antika*, XXVI (1976), 193-212.

PURATIĆ, Željko, „Đ. Ferić i Kvint Horacije Flak“, *Živa antika*, XVI (1966), 333–337.

PURATIĆ, Željko, „Ferićev prepjev Horacijevih Carmina“, *Latina et Graeca*, IV (1976) 6, 72–84.

SALLMANN, Nicolaus et al. *Correct Latin spelling and printing standards*, Roma, 1990.

ŠKILJAN, Dubravko et al. (prir.), *Leksikon antičkih autora*, *Latina & Graeca*, Matica hrvatska, Zagreb, 1996.

VRATOVIĆ, Vladimir, *Horacije u dubrovačkom pjesništvu 18. i 19. stoljeća*, Biakova, Zagreb, 2011.

VI. GRATIAE AGENDAE

Ad hanc dissertationem conscribendam, quamvis exiguam ac indignam, meae nec vires nec doctrina umquam sufficeret, nisi amicorum necessitudine vel etiam praeceptis magistrorum ab initio institutus fuissem. Nomina omnium longum erit commemorare, sed eos saltem qui mihi ab initio latus clausurunt multisque consiliis aderant, ommittere nequeo. Accademiae *Vivarii novi* eiusque magistris maximas gratias ago, vel in primis Aloisio Miragliae, qui profusum in me sapientiae semen flamma iustitiae et litterarum alebat. Deinde magistro Paulo Knezović, qui iam pridem hanc mihi rem tractandam proposuerat, cuius auxilio et familiaritate non umquam destitutus eram. Omnibus insuper magistris qui in Lyceo Archiepiscopali me a teneris unguiculis bonis litteris instituerunt, gratias ago maximas. Neque Jadrankam Bagarić ommitto, quae imagines manuscripti excepit et mecum communicavit, quam ob rem ei maximam debeo gratiam. Deinde omnibus magistris, qui in cathedra Latinitatis Croaticae operam dant, gratias ago maximas. Primo loco memorandus erat, quem ultimo posui, Simon Demo, quo moderante et magistro hanc dissertationem exaravi, et eo scribendi genere in quo ille haud mediocriter est versatus, quamque libenti animo moderandam suscepit.